VITA ET MORS GLORIOSÈ SUSCEPTA, R.P. ALBERTI ML·CINSKI, ...

Albertus Mecinski, Maciej Ignacy Tluczynki





M




VITA
ET
MORS
Gloriosè suscepta,
R. P.
ALBERTI MĘCINSKI,
POLONI è SOCIETATE IESV.

In odium Sanctæ Fidei Catholicæ apud Iapones vnà cum alijs quatuor ex eadem Societate Patribus interempti.

Anno Dñi. M. DC. *xxxx.* III. *23. Martij.*

C R A C O V I Æ,

Apud Viduam & Hæredes Francisci Cezáry, S. R. M. & Illustriss. Episc. Crac. Typographi, 1661.





VITAM

Patris ALBERTI *Mecinski.*

1. SCripſit P. Philippus Alegambe de Societate ſtylo Latino.
2. Scripſit eandem Franciſcus Roſini in ſua Breui Relatione de 4. Patrum Martyrio ſtylo Italico.
3. Scripſit eandem P. Franciſcus Roas Societatis IESV.
4. Scripſit eandem P. Ioannes Biezanowski ex eadem Societate IESV, collectam partim ex ſuprà dictis Scriptoribus, partim ex habitis in Polonia fide dignis Authoribus, ac teſtimonijs.



Prote-

PROTESTATIO Authoris.

VT sanctè, ac religiosè veneror S. Sedem Apostolicam, eiusque sanctiones, ita Decretum S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis anno 1625. editum, ac deinde anno 1634. confirmatum, iuxta declarationem Vrbani VIII. inuiolatè à me seruari volo, adeoq; protestor, me hâc scriptione vitæ R. P. ALBERTI Męcinski, è Societate IESV non id agere, vt illi famam sanctitatis arrogem, aut cultum religiosum conciliem, aut his, quæ scribo, maiorem, quàm humanam fidem adhiberi velim, aut velut approbata ab Ecclesia proponam: sed potiùs omnia quæ affero, non alio à me studio scribi, vulgariq;, quàm vt humanam duntaxat fidem mereantur.

4

APPROBATIO.

VEnerabilis Viri è Societate IESV R. P. ALBERTI MĘCINSKI ſanctæ memoriæ, qui pro fide Chriſti glorioſo agone luctatus in Iaponia, illuſtrem ex genere, & gente Roſarum ſanguinem ſuo ſanguine purpurauit Martyrio Nangaſachi perfunctus; vt vita à pio quodam autore deſcripta luci publicæ typis edita proponatur non ſolùm permitto libenter, ſed etiam cupio, ad ſolatium totius Poloniæ, in quâ hic flos exortus vernauit feliciſsimæ æternitati, ſuâque ipſe coronâ Patriam coronauit. Cracouiæ 2. April. 1661.

HYACINTHVS *Liberius I. V. D.*
Præpoſitus SS. Corporis Chriſti. Canonicorum Regularium. Librorũ in Diœceſi Cracouienſi Cenſor.

Peril-

Perillustri ac Magnifico Domino,

DOMINO

STANISLAO SKARSZEWSKI,

CAPITANEO SAMBORIENSI,

ET DROHOBICENSI.

Solidam, veramq; Prosperitatem experiri.



Hænicem Orientis, è dissipatis rediuiuum cineribus, ac heroicis virtutibus animatum, Tibi Perillustris Domine, fero. Mencinius est, inclytus Iaponiæ Martyr, historico vitæ mortisq; compendio circumscriptus. Nequicquam vana exsultet Tyrannis, & periisse iudicet, quem studuit p rdidisse. Superstes polo agit, & solo; atque simul vitam, simul famam ducit, vtramq; immortalem. Haud vniuersa

 sæuiêre

sæuière in Diuinum athletam elementa. Vndis, & flammis ad interitum vsa barbaries, non tellurem, non ætherem suæ famulari coëgit crudelitati. Quà iacet terrestris, quà cælestis sphæræ patet ambitus, integra, viuidaq; Menciniј gloria manet. Quanquam aquas quoque quid accusem, & ignes? Limpidior, ac illustrior ab illis constantia fortissimi enituit Herois. Quot stillas exsorbuit nobilis beluo, tot nectareos Christo propinauit haustus; quot sustinuit vel in exanimi corpore scintillas, tot accensæ caritatis ardoribus æstuauit. itaq; stillas, atq; ita scintillas eo vertit, vbi fontes voluptatis, vbi faustitatis faces, suauissimum longè naufragium, & incendiũ ministrant. Sparsus in Oceanum puluis, quidni sementis fuerit, quæ felicem, in æuum omne tulerit messem? Iocus aurarum, atomi æternos supernæ Sionis anne non excreuerunt in colles? Sed ne triumphum canere prius videar, quàm victoriam, Vir Magnifice, spectes; ipsam gloriosi certaminis arenam Tuis sub oculis pando. Quod generis Mencinio decus, quis splendor Prosapiæ, quanta Maiorum tot sæculis series, & amplitudo, si quisquam alius, Tu probe cognitum ac perspectum habes, quem Patrita simul, & externa eruditio plurimum commendat; nidus insuper nido propinquus, & vicinia patrimoniorum, singula do-uere. Nec Mencinius solùm Tibi familiaris

olim

olim exstitit, sed Parentes quoque & Aui, cæteriq; aborigines vestri mutuam amicitiæ necessitudinem coluerunt. Deuoluta quin etiam in ALBERTVM *latifundia, quo abdicata primùm Christianæ magnanimitatis spiritu, quo pietatis dein Religiosæ affectu dedicata, consecrataq; Deo, dum Societatem IESV, ac pòst, Iaponiam esset ingressurus, abunde nosti. Illud sepositum Regnis, atque Insulis, totoq; Neptuno erat, quicquid extra suæ gentis conscientiam, apud remotissimos, ferocissimosq; populos, lustris aliquot, ad vsque dira leti, egit, passusq; est. Dabit igitur liber iste quod euoluas, quod prædices, quod mireris. Contemptam, & relictam, amore Christi, Poloniam, atque Europam, ast ambitam, aditamq; Asiam, & Iaponiam; superatum sæpiùs vastissimũ æquor; captiuitatem Hollandicam, decumanas tempestates, pericula piratarum tolerata; famis, sitisque, ac frigoris sæuitiam, morborum longa, crebraq; luctamina, laboris difficillimi contumatiam vel elisam, vel infractam hîc leges. Talia Mencinianæ virtutis impendîa fuêre, vt Christum lucrifaceret, in vltimis, vnde pretiosissima quæque petuntur, terris. Ipsam denique prodigus, sed prouidus idem emptor, vitam, sanguinẽ ipsum pulchræ adeò dignæq; licitationi locauit, Cælum mercatus, ac Deum. Hæc Tibi, cæteraq; præterea, modicum istud explicabit volumen.*

Atq; id vt Nomini dicarem Tuo, manibusq; inferrem, eximia, quam in Mencinium exeris, pietas suasit, pæneq; iussit. Hæret menti cordiq; Tuo sacer pugil, sedent animo vultus, & ora, pectus Apostolico plenum entheo, memoriæ obuersatur. Qualem videris Perusij, dum sapientiæ vacares, cui supremum dixeris Vale, Lusitaniam adeunti, ac nauem inde conscensuro, quem votis prosecutus fueris, Tuo ante acclinem collo; nunc recolis, & porro colis. Properantem in Indias contemplatus iam Nangasachi captum, & vinctum, & tractum cerne; iam funibus adstrictũ; iam pendulum è trabibus, iam tot hydrijs aquæ violenter potatum; ac siquidem placeat spectaculum (nec ambigam placere) victimam IESV Mencinium intuere, mox sectos ferro artus, membra rogo vsta, sparsos in Oceanum cineres, præcordijs, infer. Ita Tuus erit Mencinius semper, pontoque & cælo, quæ duo illum habent, suppar amicitiæ capacitas erit. Claudetur hoc pectore, quod virtutem claudit, & sinu fouebitur qui sanctimoniæ fauet. Quò amiciorem Numini fidis, eò Tibi fauentiorem credito, & gerito intimorem. Vltrò faxis ista, Perillustris Domine, ac sospes eris ad bonorum vota.

AD LECTOREM.



Vllam Christianæ fortitudini inaccessam esse Regionem Regnumq; quantumuis remotissimis terræ marisq; disiungatur spatijs, sæculo & memoriæ nostræ, Iaponici Imperij status, abundè testatur. Ex eo enim tempore, quo Diuus FRANCISCVS XAVERIVS primus in eas Insulas, magnis exantlatis laboribus, totoque multoties enauigato Oceano, lucem Christianæ Fidei, euictâ resistentis perfidiæ & tenebrarum Principis potestate intulit, magnamque accessionem Catholicæ rei, per se, sociosque suos fecit, Francisco Bungi Rege alijsque plurimis Christiano, ex more, lustralibus aquis ablutis, excanduit subitò Regnorum illorum supremus Imperator Taycosama, & grauissimæ persecutionis excitato æstu, teneram illam plantationem, quam per agricolas suos Cælestis Pater plantauerat, penitùs extirpare abolereq;, ex omnibus Imperij sui ditionibus, moliebatur. Sed quæ ex animo & destinatione Tyranni, ad excidium plurimùm valitura videbantur; hæc in Sacræ illius vineæ, maius ornamentum, & futuri progressus, non inanem conuersa sunt expectationem. Erubuit quippè multorum Heroum sanguine irrigata illa candida Iaponiæ gleba, & tot Martyrum largè profusus cruor, semen factus est Christianorum eorumque Athletarum seminarium qui primæuam illam inter Diocletiani secures & Tyrannorum omnium tormenta, referant Ecclesiæ faciem. Continuò enim vbi Religioni ac Fidei bellum indictum est, præter eos quos prima persecutionis tempestas, in ipso impetu Iaponici tumultûs repertos, per varia suppliciorum genera ad æternitatis portum transuexit; classicum agóni suo per totum quâ patet Christianum orbem, intonuit de cælo Dominus, deditque vocem suàm, extimulatis insignium virorum cordibus & voluntate; vt posthabito Patriæ dulci nomine, illam, quæ per vltima discrimina ipsiusque iacturam vitæ obtinenda esset, cælestem inquirerent; neque sinerent per vim diabolicam eripi illa regna Deo, quæ CHRISTVS Redemptor noster sanguine suo in tanta senescentis sterilitate

 mundi,

mundi, eò cariora, quo tardiora pignora pepererat. Certatum est proinde Europæ fere Regnorumq; omnium studijs, laborante qualibet Prouinciâ Catholicâ, vt idoneos campo huic obtinendo submitteret operarios: sed quia res periculosæ erat aleæ in magna competitorum frequentia, magnus adhibitus est delectus, ita tamen, vt nulla planè Catholico è portu solueret in Indiam classis, quæ inter merces suas & arma, illa quoque destinata Fidei in Iaponiam præsidia non transportaret; magno & deuehentium in rebus æternæ salutis commodo, & illorum qui vehebantur virtutis exercitio, tyrocinium nempe futuri Martyrij fuerat, inter languentes diuturnâ nauigatione nautas & maris incommodis fracta ægrorum corpora versari, exhibito omni Christianæ charitatis obsequio. Accurrit vicinorum studijs excitata quoque Polonia, & quamuis Regnum illius seposuisse longiùs ab huius accessu Apostolicæ felicitatis natura visa est, tamen eam ciuibus instillauit indolem virtus, vt optima sint faciles amplecti, & in ea proni ruere, quæ sunt honoris Diuini & gloriæ decora. Itaq; & ex Polonis nonnulli, quos Diuinæ bonitati ad Societatem I E S V aggregare placuit, eidem sese obsequio adiuuandi periclitantes Iapones, libenter & animitùs obtulere. Quorum quidem singulorum recensere præclarè facta & illustres agones propositum mihi non est, nisi quantum Historiæ ratio tulerit. Vnum mihi præ reliquis assumo, cuius crudele supplicium in Fidei Catholicæ causa fortissimè susceptum, & præuias tantæ gratiæ dotes suscepi enarrandas. Hic autem est gloriosæ memoriæ. P. ALBERTVS MECINSKI Societatis IESV, Vir ab ipsa penè pueritia Iaponiæ natus, eoque ita Diuinâ deductus manu, vt cum materni lactis vitali alimonia, sanguinem Authori vitæ, vitamq; suam deuouerit: quod actionum & commorationis ipsius productior series ampliùs est manifestum factura.

CAPVT

F 11

CAPVT. I.

P. ALBERTI MĘCINSKI.

Maiorum ſplendor & Illuſtres Natales.



Nter celeberrimas Regni Poloniæ Familias recenſetur iure Familia Roſinorum. Quorum Gentilis Roſa, vbi alijs Regionibus Regniſq; plurimùm purpuræ & odoris affudiſſet, [a] non modo Summorum Eccleſiæ Pontificum occupatis tiaris, orbiſque totius primarijs exornatis curulibus, ſed & in Cæleſtis Orbis æternaturam gloriam deducta propagine per Sanctiſſimos Viros; per vtrumq; Vrſinum (quorum Apoſtolorum Auditor vnus, alter Gregorij Magni Pontificis encomio celebris) per Voluſianum Præſulem Turonenſem eundemq; Martyrem;

a Ioannes Bapti. Ferrar. Orat: in Funere Alex: Vrſini, numerat ex Familia hac quatuor Pontifices Max: Purpuratos Patres quatuor & triginta: duos & ſexaginta Senat: Romanos, eiuſdem Romanæ vrbis Præfectos quatuor, Eccleſiæ Romanæ Vexilliferos ſex: centum bellicos Imperatores. &c.

per Mo-

per Monasticæ Familiæ in Occidente Conditorē Benedictum, per generosos deinde traduces, nostræ quoq; propiùs admota est Poloniæ. Primùm enim à Diuo ADALBERTO ex Bohemia a Pragensibus Infulis ad Gnesnensem in Polonia Archiepiscopatum delata, & Martyrij ac Apostolatùs gloriâ illustris, per germanum ipsius D. ADALBERTI Fratrem (à cuius nomine, arma quoque denominationem Poray accepêre) illa accepit incrementa, in eumq; excreuit honorem, vt vtriusque subsellia Senatùs, tum Sacri, tum sæcularis impleuerit Heroibus, æuiternâ memoriâ & fastis dignis. Præter enim S. ADALBERTVM Præsulem, quem Patrem & Apostolum suum Cælitum honoribus colit Polonia, eidem proximos gloriæ (vbi Apostolicæ Sedis accesserit digna eorum meritis auctoritas) recenset alios viros Sanctimoniâ & morum pietate insignes. Talis est Gaudentius D. ALBERTI non sanguinis modò, sed & virtutum coniunctione Frater: qui ad Gnesnenses Infulas, Martyrio defuncto Fratri successit, easque pari industriâ Christianaq; probitate gubernauit. Sed & eiusdem Rosæ vernanti decore insi-

re insignitur Vernerus Plocensis Episcopus, quem cùm promouendæ disciplinæ Ecclesiasticæ zelus, exacta vitæ morumq; grauitas magnum in Episcopali munere Præsulem fecissent, etiam gloriosa mors pro tuendis Ecclesiæ bonis accepta, coronauit. Accedit Vincentius, ob corporis constitutionem modicam Kadłubek appellatus, qui præterquam quòd primus latino idiomate Historiam Polonam posterorum obliuioni exemerit, addidit præterea illustris virtutis insigne specimen, quando ad Cracouiensem prouectus Tyaram, illà in tantum vsus est, vt magno labore Ecclesiarum restaurationi, promotioni, cultuique prouideret. Vlterioribus verò annis grauiorem in dies sentiens administrationem muneris quo mentem sibi ac suæ subduceret deuotioni, impetratâ Innocentij Summi Pontificis benedictione, Episcopatu decessit; & quod residuum erat vitæ, Andreouiæ in Monasterio PP. Cisterciensium eiusdem Ordinis Religiosus factus, magnâ sanctitatis opinione (quam etiam cælitùs impertita ad sepulchrum eius beneficia testantur) toto septennio exegit. Non enumero reliquos

qui satis

qui ſatis abundè paginam mihi implerent, ſi eorum laudatam celebremq́; vitam, exprimerem. Sit ſatis compendioq́; dictum, quod præter Archiepiſcopos Gneſnenſes, Regni Poloniæ Primates Primoſq́; Principes, duodecim numerentur Epiſcopi, Senatorij omnes Ordinis, Palatini præterea, & Cancellarij complures, quos inſignis & probata indoles bello paceque clariſſimos fecerat.

Cûm autem numeroſâ adeò Familia, maioribus aucta in dies incrementis aſſurgeret; ſeruatâ Patrij Stemmatis Origine, in diuerſas diſtincta eſt claſſes. Varia quippe ſortiti ſunt ſucceſſores nomina, ab ijs plerumque quas adibant deducta poſſeſſioni bus. Horum è numero fuêre illi, quibus iure ſuccedaneo Roſarum Korozwanki ceſſerant; viri illuſtres & ſupremis in Republica muneribus celebratiſsimi; quorum facili negotio conſtaret ex Annalibus Polonicis deſumptum catalogus, *b* niſi me prohiberet Alberti Noſtri modeſtia: ne, quæ ille ſepoſuerat & inferiora duxerat,

b Vide Bielſcium, Paprocium. Ianicium, Cromerum, & horum nouiſſimum Collectorem P. Okolſki S. Ordinis Prædicatorum Tomo 2. ſub titulo Poray ſeu Roſa.

tanquã

nquam alienæ virtutis decora, intentus
:oprijs in tantùm exaggerare hîc videar,
onſtat tamen Auos Proauoſq; & ſangui-
e iunctos Cracouienſes & Sendomirien-
:s Palatinos, Regni totius Cancellarios,
uin & in Regis Ludouici abſentia tunc
'ngarici Regni regimini intenti, eodem
x genere Korozuanſciorum vice Regis
ıfficio, Poloniæ Zauiſiũ præfuiſſe.

Ab horum itaque Origine Maiorum P.
Alberti Męcińſki, de quo nobis præſens eſt
ıarratio profectus Parens, & eiuſdem di-
ionis Korozwanki dictæ hæres, iunctâ ma-
trimonio Felicitate Głoſkowſka de Armis
Gentilitijs Accipitrum & Maiorum San-
guine & virtute propriâ illuſtri Fœminâ,
hunc planè Felicitatis partum eſt conſecu-
tus. Licet enim Parens ipſe, ſparsâ per
Poloniam Hæreticorum dogmatum ſe-
mente, peruerſæ eorum doctrinæ cũ alijs
pluribus tanquam nouæ (ſolito humanæ
mobilitatis genio) adhæſiſſet: non tamen
permiſit Deus, progenito in lucem inſigni
Chriſtianæ Fidei apud gentes barbaras præ-
cone, diutiùs in Patre perfidiæ inueniri lo-
cum. ſed veluti natus Filius oculos aperuiſ-
ſet Patri, ad ſe reuerſus, eiuratâ Hæreſi &
Catho-

Catholicæ Religioni data manu, in eadem quâ Illuſtriſſimi Maiores ſui pietate, reliquos vitæ annos, quatuor vixit, & altero relicto Filio Staniſlao minorenni, piè ſanctèque deceſſit.

Patre eius è viuis ſublato tota educandæ prolis teneræ moles incubuit Matri; quæ tum de excolenda Filiorum indole multùm ſolicita, tùm maximè virtuti & probitati eorum attenta, eos ſubſtituit infantiæ moderatores, qui cum primis literarum elementis, rudimenta ſimul, & veluti tenues pietatis ſcintillas, facili ad concipiendam quamlibet flammam ætati admouerent, erupturas auctis poſtmodum annis, in virtutis incendium. Et patuit quidem properè, quantum Alberti indoles virtuti maturuiſſet ante ætatem; cùm ſtatim à puero auidâ mente & conatu, totum id apprehenderet, quod Deum Sanctoſque & Sanctiſſimam præcipuè Deiparentem Virginem (quam ille vnicum aſylum neceſſitatum ſuarum appellare ſolitus fuerat, inq; eius tutelam totum ſe tradiderat) concerneret. Nihil in moribus eius leue, aut licentiâ diſſolutum, ſed quædam modeſta grauitas & affabilis ad omnes candor, qui magnam

magnam spem futuræ probitatis inijceret omnibus. Totum Domi inter pueriles ludos negotium, moliri altariola: & imitatione tenerâ Ecclesiarum ritus consequi; verba ex suggestu ad æquales dicere, & iam inde assuescere, aut potiùs naturæ inclinantis manu duci ad futuros labores Dei, & Religionis causâ faciliùs perferendos.

CAPVT II.

Educatio & Studia.

HÆC vbi initia inter nutricum manus & Parentum domesticam eruditionem collocauisset Albertus, annos natus quatuordecem cum Fratre minore natu Stanislao Lublinum (minoris Poloniæ Ciuitatem præcipuam, & Iudicijs Regni Tribunalitijs, quæ illic singulis annis magnâ nobilitatis frequentiâ peraguntur insignem) mittitur; vt in Collegio Patrum Societatis IESV literarum simul ac virtutum imbueretur studijs. Et non defuit vtrisque Albertus, à natura enim sortitus animam bonam, acri & viuido ingenio,

facilè ea omnia quæ addiſcenda proponerentur memoriæ commendabat, & ſine graui contentione, felici tamen paſſu, præeuntium Præceptorum aſſequebatur ductum.

Sed in ſtadio virtutis iam tempus adfuerat, quo euidentioribus indicijs, quæ intùs depoſita vigebat gratiæ diuinæ flamma, extra proderetur. Compertum ex ipſiuſmet Inſpectoris eius teſtimonio habeo,(qui etiam poſtmodum Presbyter iam Societati IESV aggregatus, ætatem totam adiuuandis infirmis, diſponendiſq́; ad vltimum agonem moribundis, magnâ laborum tolerantia exegit) Albertum ex Congregationis præſcripto, conſcientiæ facto examine, Litanijſq́; dictis ſæpè ſæpiùs illius circumſpectionem pietatis ſuæ vigilanti contentione eluſiſſe; & ſimulatâ cum alijs ſomni quiete, tacitè lecto relicto, humi depoſitis genibus, horas integras, Diuino exorando Numini impendiſſe.

Aduertit id quidem ille ſeriùs, & ne orationis præcox feruor defraudato ſomni quiete corpori, aliquam valètudinis noxam inferret, grauiori reprehenſione continuare ſomnum compulit, ſed ille tum quidem

quidem ſine omni ſenſu animi obluctantis dicto paruit: quantum tamen euitare notitiam Inſpectoris potuit, ſemel inchoatæ guſtum deuotionis, & vſum continuare non deſtitit.

Ex quo fonte illa promanabat vultûs & geſtuum omniũ corporis moderata compoſitio, vt nec in actionib⁹ aliqua inſolens obſeruari potuerit leuitas; nec in ſermone friuolum aut iuuenili concitatione aſperum dictum.

Germanum natu licet minorem fratrem magnâ comitate Dominum appellabat, decentiam modeſtamq́; affabilitatem, præcipuum ætatis ſuæ ornamentum & decus præ cæteris amplexus. Interea frequens, tum in Congregationum conſeſſu, tum in li[illegible]ris impreſsis Iaponiæ prædicatio ferebatur. Enarrabantur Iaponiæ Martyrum glorioſi triumphi, qui pro Sancta IESV Christi Fide, crudeliſsima quæq; tormenta & carnificinas inuicto animo pertulerunt. Lentis alij exuſti flammis, alij diuturno carcere, ſqualore, inedia, rerumq́; omniũ indigentiâ ægrè animam trahere permiſsi; alij bonorum omnium iacturâ mulctati, crucibus alligati crudeliter, lanceiſq́; con-

fosſi; & quidquid Tyrannica perſecutio adinuenire excogitatiſsimæ crudelitatis poterat, perpeſſi. Quæ omnia adeò profundè Alberti animo inhærebant, vt nullus ei ſermo ſuauior, nulla collocutio magis familiaris occurreret; quàm illorum Martyrum referre agones, deprædicare felicitatem, admirari fortitudinem & quandam concipere famem ac maturum deſiderium paria audendi, ſi modus & occaſio viam aliquam ea quæ animo conceperat, perſequendi, aperirent.

CAPVT III.

Adeundæ Religionis propoſitum & impedimenta.

PLacuêre Maieſtati Diuinæ primi illi impetus & fundendi pro CHRISTO ſanguinis celerata auiditas. Ideòq; vt cognitis Prouidentiæ ſuæ modis & rationibus Athletam quandoq; futuro præpararet certamini, mentem ei indidit, aggregandi ſe & deuouendi DEO ad obſequium in Societate IESV. Quem ille inſtinctum tanquam

quam è cœlo arreptum ignem, quotidianis orationibus, frequenti Sanctiſſimorum SACRAMENTORVM vſu, alijsq; pijs exercitijs, tam diu alere non deſtitit, gratiamq; perficiendi flagitare; donec maturuiſſe res ad executionem viſa eſt: præſertim vltimâ iam humanioribus literis manu impoſita.

Quod ſubodoratus vaferrimus bonorum deſideriorum hoſtis, omnem admouit lapidem, quatenùs iam clandeſtinis ſuggeſtionibus, iam apertis terriculamentis, mentem adhuc eiuſmodi prælijs inaſſuetam, à ſancto auocaret propoſito. Multus in exaggeratione erat honoris & gloriæ, cuius patentiſſimum campum & Maiorum tritum ſatis veſtigijs, aperiri ſibi cerneret: ſequeretur bonæ impetum indolis, & in magnam poſteritatis admirationem breui ſe euaſurum confideret, cùm & natalitius ſplendor, & Parentum ſtudio à multis annis congeſtæ opes, pronum eiuſmodi contentioni daturæ eſſent ſuffragium. Eiuſmodi flabellis ſufflaminata, calens à natura, & in altum quidlibet propenſa generoſi ſanguinis inclinatio, tanquam inter medios nauis conſtituta ventos, tenebat dubium iuuenem, cuinam



permittenda vela, totisq; inhærendum remis esset. Ita perplexus dum oculos in cœlum, opis flagitandæ gratiâ ad DEI MATREM Dominamq; suam conuertit, adfuit Diuina Parens, & illâ effigie (qualis Romæ in Exquilijs Maioris titulo colitur) stitit se obtutibus, cuius gratissimo tanquam sereni solis aspectu, cùm dispelli mẽtis prætеritas nubes vmbrasq; experitur, ecce tibi transiens per plateam mendiculus, qui stipis efflagitandæ causâ aliquid pium præcinendo oberrabat, eo tempore Psalmi verba illa cecinit. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum; in quibus non est salus.* Quæ verba præsente interprete Pretiosissima Deiparente satis erant ad resoluendam & quieti restituendam mentem, promptissimi ad diuinos instinctus iuuenis: qui tanto Numine adeò obstinatè pectus in bonum armauerat, vt nulla iam penitùs clandestina hostis machina quidquam proficeret. Sed ille tantâ efferatus constantiâ, palàm sæuire & obstrepere non est veritus; Musæolum in quo ille commentationes scholasticas & Diuinas peragere solitus fuerat, iam motibus quatiebat assiduis; iam dissonis inconcinnisq; clamoribus persona-

nabat; quin & ante oculos noua & inusitata Regnis hisce proijciebat, miracula; quæ vix à quadringentis leucis asportata haberi poterant: vt eiusmodi conchiliorum nugarumq; lenocinio & raritate, pretium aliquod sui Mundiq; circulator ille improbus, apud mentem iam cœli ac Religionis studiosissimam, compararet. Verùm hæc ille omnia generoso contemptu, & quod ei præcipuum erat inuocatâ ope & subsidio Pretiosissimæ Parentis Virginis feliciter superauit; hostemq; clàm & palàm ferocientem, puer ferè adhuc, debito rubore & ignominiâ confudit.

Accidit interea vt feriarum œstiualium libero à literis tempore, simul cum Illustrissima Parente in pago quodam ditionis suæ, animi & quietis gratiâ versarentur; ibi tum commoda visa est occasio aperiendi suppliciter Parenti Illustrissimæ voluntatem suam; & petendi, vt illius bona venia & benedictione nuncium remittere sæculo & se se Religioni Societatis JESV dedicare posset. Accessit itaq; & simplici candore Parenti vota sua exposuit. Quæ & materni affectùs acta stimulis, & (quæ frequens parentibus nimiùm bilem

mouet) magnam Familiæ prætexens ipsius iacturâ orbitatem, impetuosâ primùm aggressa est reprehensione. Ideòne, inquit, nequam tot ego profudi sumptus, tot impendia collocaui, vt ijs exercitus, nulli mihi & Patriæ vsui sis? ideòne te ad Collegium Patrum Societatis direxi, vt literarum loco, eorum Religionem arriperes? mox accessit obiurgationi acris alapa, quam filio irata mater inflixit. Vbi experiri incipiens Albertus, quàm suaue esset in causa pietatis pati; vultu adeò immoto ictum accepit, vt neq; puerili comploratione, neq; murmuratione aut querelis, Matris seueritatem perstrinxerit; sed rem intra se toto planè vitæ tempore tacitus aluerit.

Perstitit tamen in concepta pertinacia Mater, & redeunte Septembri (quo tempore ex more Prouinciæ Renouatio studiorum in Collegijs Societatis IESV institui consueuit) missos Lublinum vbi ante studuerant, filios, collato cum alijs minus vocationi eius fauentibus amicis, consilio; subitò aliarum rationum efficto prætextu, reuocatos; Cracouiam amandat, vbi in celeberrima Poloniæ Academica Vniuersitate alijs Præceptoribus & Magistris, alium

vitæ

vitæ ſtatum arriperet: & iam ante concepti propoſiti immemor, eo magis affectum inclinaret, quo illum diues ſucceſſio & ſpes magni in Republica ſplendoris euocaret. Sed quantumuis ille Matris eſſet ad imperia cereus, Diuinæ tamen vocationis ſemel accepta cognitio, illum adeò fecit animo immobilem; vt locorum diuerſitas áërisq; mutatio, firmæ voluntati non obeſſet; alijsq; addictus Magiſtris, eandem tamen vbiq; virtutis retineret conſtantiam.

Hoc ei plurimùm emolumenti contuliſſe Academica commoratio dici poteſt, quòd eo tempore publicæ variarum ſcientiarum prælectioni intentus, Medicinæ (ſecus quàm alia Polona Nobilis Iuuentus, quæ belli potiùs & Martis, aut pacis Reipublicæ ſtudijs innutriri ſoleat) attentus inuigilauerit: non quod mens eſſet, eam aliquando profiteri ſcientiam, ſed priuatæ conſeruandæ valetudinis gratiâ. Cæterum hoc DEI conſilium erat, qui illâ Alberti induſtriâ ad multorum reſtituendam ſanitatem, ipſiusq; ſingulare meritum olim vti deſtinabat, prout illius partim ad Indias nauigatio, partim apud Hollandos captiuitas docebit inferiùs.

Admirabilis verò Diuinæ gubernationis dispositio, turbari seriem à se constitutam quantumuis accuratis hominum inuentionibus passa non est. Dum enim secura iam Mater Filij eum extra Religiosæ vitæ castra se collocasse præsumit; & nouas illi occupationes, nouos meditatur adolescentiæ splendores, propiùs vitæ suæ accedens fatis, necessitate mortis persolutâ, filio vitæ aditum patefecit; quò sui iam effectus iuris, quæ ante animo conceperat, faciliùs exequeretur.

Mortem Parentis ita moderatâ tulit significatione mœroris, vt & debitum genitrici testaretur dolorem, & eius recordaretur Patris, cuius nutu cùm omnia terrena regantur, luctandum cum Diuinis eius edictis non est, sed potiùs omni demissione parendum. Elato proinde Parentis funere, iustisq; persolutis, pro ea quam eius dignitas merebatur decentia, postquam sopito dolore semet reddidit sibi, de vlteriori progressu vitæ solicitus, rem cum propinquis communicat. Eligerent illi & destinarent, quam vellent occupationem: ignauo domi otio vitam deterere, Maioribus suis insolitum, sibi minimè videri ho-

no-

norificum; in illa poſitum ſe ætate, illâq; præparatione animi, quæ multorum adhuc ſtudiorum capax, & exteris & proprijs applicari poſſit. Non deeſſe Illuſtrium Parentum prouidâ curâ miniſtratas opes, & ſubſidia; quæ talibus impendijs ex honore ſufficiant. Multa apud exteros reperiri poſſe, quæ deuictum animum, & melioribus informatum experimentis, tanquam diutiùs agitatam ſphæram, certo demum defigant puncto. Neq; tam facilè patere poſſe locum vitijs, quæ ſuccedanea variarum occupationum ſtudia, gratâ viciſſitudine excludant.

Prouidæ adeò deſtinationi acceſſit ſanguine iunctorum aſſenſus, concluſumq; Albertus iret primò in Belgium, vlteriorem deinde Italiam peragraret, comes additus Illuſtriſſimo cuidam Epiſcopo conſanguineo ſuo, qui in certis Eccleſiæ negotijs idem moliebatur iter. Staniſlaus verò natu minor, viciniorem elegit, quam inuiſeret Hungariam, vbi gentis moribus & Regionis, quantum ex vſu Patriæ eſſet, perſpectâ conſuetudine, totum ſe ad rei, ſeu militaris, ſeu familiaris adminiſtrationem, rectè & cum timore Dei gubernandam

dam conuerteret. Hic itaq; breuius nactus peregrinationis suæ curriculum, non multò post retulit se in Patriam, quò tum suæ, tum fraternæ intentus commoditati, opportunas debitis temporibus prouideret impensas. Albertus verò sui iam effectus iuris, tanquam laxata neruo sagitta, quàm primùm semel destinato scopo accurrere nitebatur. Omnium fuerat contentionum, laborum, itinerumq; meta, Romam celeratis itineribus accurrere, & deliberatam diu electamq; Societatem IESV precibus omnibus assequi; illiq; quam experiebatur ad lucrandas animas feruenti siti, hoc veluti prægustandum propinare delicium, curam & institutionem salutis propriæ.

Quare Regiones alias vix delibasse prætereundo visus est, tædio illo quodam ad vlteriorem stimulante quietem. Fecitq; Diuina benignitas & Pretiosissimæ Parentis in clientem suum fauor, & tutela; vt magnis viarum & latronum periculis, quæ in tanta itinerum & locorum varietate occurrebant, non sine miraculo DEI genitricis inuocatâ ope, eriperetur; præparante illi Domino, aditum eius vitæ, quam post mo-

modum plenam laboribus & extremo discrimine fuerat amplexurus. Itaq; Romam aduenieus, & sacro Martyrum cruore abundè fertilem terram attingens, vbi eorum sacra Lypsana & immortales exuuias debitâ fuisset veneratione prosecutus, re cum Deo communicatâ, Sanctorumq; imploratis subsidijs, ingressum Societatis Iesv apud Generalem Societatis Iesv Præpositum Mutium Vitellescum flagitare institit. Ille fuit petentis ardor, ita exaggerata rationum vis, & effusæ animæ enixa supplicatio; vt facilè appareret, cœlitus eam inditam mentem, non alium auctorem propositi testari, præterquam eum, qui sanctarum cogitationum promotor est, Diuinum Spiritum. Probatâ Iuuenis virtute præmissisq; experimentis consuetis, compos efficitur voti, & ad Probationis domum, quæ in Quirinali monte ad S. Andreæ sita est, remittitur.

CAPVT IV.

Religionis ingressus & prima Religiosæ vitæ rudimenta.

Nulla

NVlla opinor dies sereniore gaudio Alberto arrisit, quàm cùm vidit se vnum è medio eorum, & quidem assumptâ Religionis veste initiatum Tyronem, quorum esset proprium præmissâ propriæ salutis curâ, enixè in aliorum quoq; salutem incumbere; neq; computatis impendijs sanguinis, aut vitæ tam beato lucro adducendarum DEO animarum inhiare. Plaudebat tum primùm aperiri sibi campum, in quo generosa promissa ad metam adigeret; serioq; secum & cum animo suo concludebat, nihil hîc impigrum, nihil desidiâ torpens cogitari debere, vbi altissima vocatio magnam resoluti animi requireret contentionem. Hic præparanda arma & velut in vmbra meditandum diligentiùs, qualem postea in ipsa arena Athletam inuenirent aduersa; experiretur tyrannus. Hoc itaq; præfixo termino ad eum collimare omnibus Religiosæ vitæ primis exercitijs visus est, vt è Societatis institutione & norma, omnes actiones illi conformaret ideæ, quam conuertendis animabus multisq; pro CHRISTO tolerandis aduersis, idoneam, perfectio religiosa coloribus proprijs ad viuum expresserat.

Pri-

Prima erat quæ oculos animumq́; allęxit Alberti, inſignis ſui rerumq́; omnium deſpicientia & continuus peruerſorum animi motuum infringendorum conatus, qui veluti ſuppedaneam aliarum ornamentis virtutum præpararet & ſubmitteret baſim. Quam vt firmiter collocaret, præter internum humilis & demiſſæ opinionis ſenſum, qui facilè euaneſcit, niſi exterioribus firmetur ſubſidijs, ita ſe ad ſubeunda quæq́; vilia & abiectiſſima miniſteria paratum exhibuit ac facilem; vt non vana ſimulatione, ſed ſincero rectoq́; affectu omnia ab illo perfici concitata quædam alacritas, & ſpecialis feruor monſtraret. Jnde quidquid in Probationis Domo, eiuſmodi Exercitiorum eſt, quibus illæ nunc primùm à ſæculo tumidæ mentes, ad Religioſæ humilitatis deprimuntur moderationem, tanto obiuit cum ſtudio; vt quamuis alijs ageret communia, ſemper tamen emineret aliquid excogitatæ induſtriæ, tanquam condimenti ſingularis; quo latens animo virtus, tanquam per cancellos quoſdam clariùs innoteſceret. Sumebat verbi gratiâ in triclinio ſolitam cum alijs refectionem, & demiſſionis exercendæ gratiâ, ad alio-

aliorum pedes humi desidebat; iam præter communem morem vilissimum aliquem & detritum lauandis lancibus arripiebat linteum, eoq́; mappulæ loco vtebatur; resídua ab alijs panis aridi frustula emendicabat, & quem potuit in ea demissione extremum præoccupabat locum. Cui tam auido humiliandi se desiderio, nullæ sufficere posse videbantur occasiones; nulla occupationum locorumq́; diuersitas. Iam ille ad eluendas communitatis lineas vestes, (qui grauior labor est, & ferè eorum tantum, quibus temporalia Societatis committuntur obsequia) prior Superiorum, implorata licentia accurrere, & quâ poterat alacritate aliorum fulcire operam; iam ad corrogandam ostiarim per vrbis plateas stipem, suspensâ de humeris manticâ, tanquam CHRISTI insignium dulci sarcinâ hilaris incedere: iam breuem centonibusq́; crassioribus obsitam vestem indutus, defectus proprios in triclinio euulgare, illisq́; veniam precari: verbo dicam ad abiectissima quæq́; pari ambitione ferri, ac homines mundi huius, honorem, magnamq́; de se apud homines aucupantur opinionem. Jn quibus omnibus non affectata aliqua & ad

ad oculum inſtituta videbatur cura: ſed quædam ſingularis animi indoles & ab intimo pectoris emanans candor, qui omnibus quæcunq; ageret affunderet gratiam, aliosq; ad imitationem ſuaui æmulatione pelliceret.

Magnam huius gratiæ conciliatricem inuenerat modeſtiam, quæ non imperato moroſoq; cultu, ſed motuum omnium & totius corporis conſtitutione, ex regularum præſcripto, concinno moderamine, regeretur; vt nihil in eo violentum, aut à paſsionum impetu præceps, obſeruari potuerit: immò affabilitas & fraternus ad omnes, cum debita cuiq; reuerentia affectus, eam teſtabantur quietem, quam mentes addictæ Deo, in hac etiam turbulenta paſſionum valle, ſolent conſequi.

Sed neq; in ea religioſæ quietis tranquillitate, illa ſopita eſt flamma, quam ante accenſam in Alberti pectore diximus, conuertendarum animarum. Patuit tum primùm in illa exigua populi ſimplicioris erudiendi, ita dicam, cymbula, quantus is animarum Nauclerus, in vaſtis Oceani fluctibus futurus erat. Quoties ad conſuetum Nouitijs proponendæ rudibus doctri-

næ Christianæ exercitium, prodeundum in vrbis plateas erat, ibat feruore & alacritate magnâ: & quamuis lingua non satis idiomate Italico exculta, suaue tamen influebat auribus circumstantium. Et quantum aberat in dictione suauitatis, tantum supplebat energia sensus, & penetrans ad cor vsq; Tyronis CHRISTI sententiarum grauitas; quâ facilè ad eluendas peccatorum suorum maculas, & Sanctissimorum SACRAMENTORVM frequentiam, rudis illa plebs traheretur.

Jn eodem Nouitiatûs sui biennio, primordia illi posuit erga Beatissimam DEI genitricem amori, cuius postmodum auctum feruorem, omnia pericula & aduersitates, tanquam aquæ plurimæ non extinguerent, sed augerent in maius. Accepta enim pluribus occasionibus magna Beatissimæ Virginis, quam erga clientes suos habet, protectionis experientiâ; in id incubuisse visus, vt quibus posset obsequijs, eam Patronam demereretur; & Auxiliatricem propositorum suorum inueniret.

Jtaq; primum imitatus gentis suæ Nouitium B. STANISLAVM KOSTKAM, nouos excogitare diligenter cæpit titulos, quibus

DEI

ı genitricem Virginem compellaret, diem ſæpiûs: tum deinde, partim ex pi- ım lectione librorum, partim inuentio- propriâ eos in ordinem digerere diſcur- , quibus debitum tantæ Matri amorem, orum pectoribus ingereret, & frequenti ocutione traheret ſecum, quos poſſet, ı piam eiuſmodi de Matre Sanctiſsima ɔllocutionem, eiusq; reuerentiam & ho- orem. Mirabantur pleriq; Nouitio Iuue- i adeò vberem in dies ſufficere inuentio- ıem, noua ſemper acceptaq; auribus de ıac materia ſufficere, & planè fontem ad- :ſſe inexhauſtum. Cùm verò continuari ſermo ſemper non poſſet, tranſibat ad alia obſequiorum genera, prompta in Paren- tem veneratio. Patebat propè ab eo loco, quâ ei ſæpè ſæpiùs tranſeundum erat, ſita Diuæ MARIÆ Maioris Eccleſia, deuotumq; aſpectum oppoſitâ è feneſtra tranſmitte- bat. Hâc ergo illi quoties ire contigiſſet, depoſitus in genua, humili ad Parentem adeò diſtantem affectu, reddebat mancipa- tam venerationem Reginæ ſuæ, & pluribus idem faciendi ſtimulum addebat. Quoti- es verò ſolennior quæpiam eiuſdem DEI genitricis propè adeſſet dies, octiduo iam

ante ſeriò inuigilabat Albertus, vt nihil præparationis tantæ ſolennitati deeſſet: augebatq́; mortificationis, & ſui deſpiciendi conſuetudinem: accumulabat orationum frequentiam, totâq́; animi deuotione aduenienti feſto proludebat, pari induſtriâ ipſam quoq́; octauam diei proſecutus.

CAPVT. V.

Reuertitur in Patriam factus Societatis IESV Religioſus, & ſtudia Philoſophica proſequitur.

ITa dum Nouitiatus ſui decurrit biennium, & pietatis ac religionis degit ſecurus, è Polonia miſſis ad Præpoſitum Generalem arceſitur literis; vt ex Hungarica peregrinatione reduce fratre, Albertus etiam noſter ad Patriam rediret. Id nimirum poſcebant vtriusq́; Fratris rationes: alterius quidem, vt quàm pleniſſimè ſe Mundi, quâ facultatibus & bonis, quâ curis & cogitationibus expediret, totusq́; CHRISTI eſſet, ac ſe CHRISTO probaret: alterius autem, vt compoſitis cum

m fratre negotijs, collatisq; consilijs, plicatiùs res suas, statuiq; conuenientes, necessarias rationes procuraret simul q; stabiliret.

E Romano itaq; Tyrocinio Superiorum perio euocatus, in Poloniam reuertitur lbertus, relictâ & virtutis suæ opinione signi, & asportatâ secum benè peracti tyocinij viuâ effigie. Prosperè deinde absoluto itinere, vbi in Poloniam redijsset, Calissium ad Philosophica studia absolenda mittitur. Vbi in tanta multorum Auditorum frequentia, qualem triplex perpetuò Philosophiæ curriculum facilè colligit, diem quandam accendisse visus est elucentis pietatis & modestiæ; ita amplexus humanam sapientiam, vt à Diuina ne minimùm quidem recederet. Eadem quam primùm ante imbiberat comitas affabilis, ad Superiorum nutum facilitas, dicendi circumspectio, orationis & pietatis cura: vt non abripi aut obrui accedentibus studijs; sed potiùs moderatè assumere, & concredere eis mentem Deo antè integrè consignatam & deuotam pateret. Deduci id facili negotio potest, tum ex ijs, quæ circa proprij animi spiritualem curam molitus

 est;

est; tum quæ ad aliorum promouendam pietatem magno zelo aut egit, aut agenda disposuit.

Quantum ad interiorem mentis solicitudinem attinet; obseruata est in Alberto peruigil diligentia, nulla vt ipsi præterlaberetur dies, quâ aliquid ex imperfectionibus quibusuis, etiam minimis, non demeret; ideòq; defectus suos hostiliter planè prosecutus est, iam publicis Superiorum impetratà veniâ obiurgationibus, iam occultis excogitatisq; supplicijs. Itaq; & de consuetæ alimoniæ moderata refectione aliquid ante destinabat, in quo genium esset fraudaturus, & frequenti diuerberatione corporis atterebat viuidum robur; non tam quòd contra mentis legem aliquid moliretur, quàm potiùs ne moliretur. Quin vt futuris, quæ animo destinabat, corpus duraret laboribus, & experimentum faceret eorum, quos pro CHRISTO pati disponebat, cruciatuum; destillatâ ad ignem candelâ, ardentem inde flammantemq; ceram, pronis excipiebat artubus, eiusq; doloris acerrimam vim, suaues reputabat delicias: ita iam animo profundè insederat tolerandi pro CHRISTO aspera quæuis, auiditas, vt gau-

udium reputaret dolorem. Fomes au-
m perennis, à quo hæc omnia ortum,
rogreſſum, vitalemq; ſuccum accipiebat,
la erat iam pridem concepta & deſtinata
aponica profectio, quam illius Regni A-
hletarum inſignes exantlati ſudores, & vi-
a per extremos cruciatus profuſa, fre-
uentibusq; vulgata ſcriptis, maiorem in-
nodum promouebant. Hanc ille caram
deò Iaponiam votis aſpirare omnibus,
ſeq; quàm primùm expedire negotijs fra-
ternis & ſuis, elaborabat; quò obtentâ
Præpoſiti Generalis facultate, eò ſe trans-
ferret velociùs. Quod opus quàm præ-
meditatè aggrederetur, ſecumq; ipſe ac
cum viribus ſuis indicto concilio delibe-
raret, ſequens declaret euentus.

SIGISMVNDVM III. Regem Poloniæ Inui-
ctiſſimum Pijſſimumq;, dum conſuetæ de-
uotionis gratiâ templum ingreditur, nefa-
rius quidam (mentisne malè ſanæ & turba-
ti cerebri, an alienæ perſuaſionis impulſu,
dubium relinquo) ex occultis inſidijs, gra-
ui Regio capiti ictu inflicto, in diſcrimen
vitæ vocauerat. Parricidalis huiuſce fla-
gitij, cùm ab homine nefario pœnæ exigen-
dæ eſſent, & per crudeliſſima tormenta

tantum in horrorem aliorum deducendum facinus; institit apud Superiores suos Albertus, eò vt mitteretur: assisteret homini in tanta tormentorum acerbitate constituto, & aliquod adferret spirituale subsidium. Id quidem tum ei iustis ex caussis concessum non est; cognitum tamen ex ipso postea, non aliam magis præcipuam rationem deducendi & spectandi eum hominem fuisse, quàm vt ex illa immani lanicna periculum faceret sui, & intelligeret, tantumne sibi roboris ac firmitatis animi suppeteret, vt pro CHRISTO suo, inter gentes immanes & barbaras, intrepidus fortisque & candenti ferro adurendam exporrigeret dexteram, & forcipe ignito laniandos artus, discerpendumq; equis in diuersa actis totum corpus permitteret, & quidquid hic iustitiæ, illic crudelitatis rigor destinaret. Sed sufficere poterat præparato animo simplex eiusmodi cogitationum delineatio, quæ continuis postmodum progressibus ita informaret mentem, vt longè ei faciliùs videretur suauiusq; pati & mori, quàm viuere & oblectari.

CAPVT VI.

Fratris natu minoris Stanislai mors: noua circa Religioſam vocationem turbatio, Bonorum diſpoſitio.

QVando ad patiendi occaſiones ita ſeriò Albertus inuigilat, placuit Diuinæ Maieſtati nouam, eamq́; minimè ſperatam permittere tribulationem. Innuimus iam ſupra, quanto à teneris amore & mutua reuerentiâ cum Fratre ſuo Staniſlao Albertus noſter vixerat: eadem ipſa charitas ſequentibus annis augebatur magis, reddebaturq́; manifeſtior, adnitente Staniſlao, vt omnibus optimi germani monitis morem gereret, & præ reliquis omnibus curam ageret probitatis. Hic itaq́; dum iam planè, & Patriæ expectationi & Maiorum maturuiſſet honoribus; cùm deſtinatam nobili coniugio Sponſam ducturus eſſet; inſperatâ febri correptus, vltimum clauſit diem. Perculit non leuiter hoc telum Alberti animum bene gnarum, quanta & quot negotiorum moles capiti ipſius impenderet, quàm multa à conſanguineis, multa

toleranda essent ab amicis. Hæc ipsa hæreditas, quæ tota ad illum, tanquam ad vnicum hæredem fratris morte fuerat deuoluta, sat prægnans curarum erat. Spe tamen omni in DEO eiusq; Pretiosissimâ Virgine Matre depositâ, ad procurandum funus, iustaq; exoluenda Fratri, Superiorum accedente voluntate proficiscitur. Quæ eâ celebritate, Sacerdotum, Sacrificiorumque frequentiâ, alioq; decenti apparatu, persoluta sunt, qualia germanus frater vnicè dilecto Fratri fieri debuisse iudicauerat.

Postquam parentatum Fratri, & quantum exigebat amor, concessum dolori est, primus, quem inuictus Alberti animus sustinere debuit, stimulus, acerq; impetus amicorum & sanguine iunctorum erat, qui verbis exquisitâ humanitate ornatis Albertum aggressi, id vnicum satagebant, vt eum quâ possent Religiosæ vocationis statione mouerent. Adducebantur causæ, quæ primâ fronte speciem aliquam præferrent veri. Videret insignem Familiam, & vnicum Gentis decus illius properata pietate extingui: transitura alienas in manus bona, tanto Maiorum comparata impendio: quodq; potissimum dolorem eliceret

ceret omnibus; nidum illum, è cuius gremio boni hucusq; Patriæ Ciues, & animi candore, alijsq; præclaris dotibus inſignes prodiêre Heróès, ſterilem vacuumq; relinqui. Reſtitueret ſe potiùs Reipublicæ: affore promptam Superiorum conniuentiam, quam ipſi modis omnibus imploraturi eſſent: aut ſi adeò profundè menti pietas inhæſiſſet, vt inclinari illam ad matrimonij leges non eſſet poſsibile, ſaltem ad ſæcularis Sacerdotij aſpiraret campum; in quo ſpectatis moribus & probitate vitæ, Maiorum inſiſtens veſtigijs, poſſet ſucceſſu temporis altioribus eminere ſubſellijs, & leuare promptâ manu ſanguine iunctos, quos Fortunæ & aliæ dotes remotiùs ab eo ſtatu poſuiſſent.

Jlle verò has omnes inſidias integritati ſuæ prætendi bene aduertens, ſolidis protinùs inanes conatus excuſsit rationibus. Benè agi cum Familia, quæ hancce ſuperſtitem ſcintillam accenderet Deo. Proſpecturum ſe de hærede bonis, in cuius manu quam diu eſſent, optimè collocata, minimè dubitaret. Non ſe fore primùm, qui conceptam de bonitate Progenitorum ſuorum opinionem, notabili adeò leuitate

cor-

corrumperet. Gentis eiusdem, viui exemplaris instar habere se VINCENTIVM, qui doceret, potiùs a Summis Insulis concepto fastidio Religiosum ambiendum esse secretum, quàm à Religiosa moderatione Senatorias curas & Pontificales Mitras.

Hac animi inconcussâ firmitate, solicitandæ postmodum constantiæ suæ finem fecit, nemine audente contrauenire sanctis adeò propositis, & ipso in limine maturæ iam virtuti. Discussâ amicorum intempestiuâ curâ, disponendis quam primum accingit se possessionibus. Vbi dum singularum rationes exigit, prouentusq; examinat (vt difficile est à contactu ignis non incaluisse, & tractando aurum, auri non attrahere fulgorem) hîc quoq; callidi aduersarij inuenit prætentos laqueos, quos ille obijcere his, qui diuites fieri volunt, consueuit. Dum enim domesticum ingreditur armamentarium, & à Maioribus custoditam gazam diligentius perscrutatur, indeq; quidquid instruendo opportunum esset militi, copiosè collectum, magnisq; impendijs studiosè adornatum spectat: hinc supellectilis domesticæ, auro argentoq; collucentis copiam: aderat prætere-
rea

rea & integendis mensis & inuestiendis parietibus, iam argentea abacus, iam magna stragulæ, bombycinæq; telæ abundantia, & alia ab antiquitate, arte, pretio, commendata monilia, quæ dum singula circumspicit, nescio quâ animum vellicare visa sunt luce. Sed ille hostis aduertens esse istam machinam, fatuum illum ignem generosiore proposito penitùs extinxit. Conuersus enim ad eum, quem ante Moderatorem studiorum suorum habuerat, mentem his verbis aperuit. Magna Domine mi, inquit, ex hisce allectamentis posset mihi oriri tentatio: sed firmam spem in DEO meo posui, auri hanc, gemmarumq; lucem posteriorem mihi Diuino ipsius amore & seruitio fore. Quare eò citiùs admouit manum operi, sopitisq; si quæ excitari poterant, circa hæreditatem adeundam controuersijs, possessiones suas, cum oppidis & adiacentibus villis, quæ illum, tanquam vnicum ac legitimum spectabant hæredem, Collegio Cracouiensi Societatis IESV, quod per id tempus inter nouæ ac tenuis fundationis angustias luctabatur, seruatis iuris solennitatibus, possidendas attribuit. Et verò ille tum primum se expeditum

CHRI

CHRISTI Euangelio prædicando existimans, si nihil terrenarum animo curarum superesset, quod nec tacere coram eodem, quem ex iuuentutis suæ instructione amicissimum habuerat, potuit, cùm factâ iam publicis in Actis inscriptione, longè hilarior, quàm aliquis nobilissimo auctus patrimonio, fassus est. *Lætari se, quòd nihil iam superesset ampliùs, quàm vt sanguinem & vitam suo restitueret Creatori, quam vltrò & libenter paratus esset quouis meliore modo profundere pro eo, qui prior pro illo tradidisset suam.*

Eo itaq; lætior, quo iam pauperior, Calissium regrediens, in eo totam iam contentionis & studij vim collocauit, vt à Præposito Generali obnixis sæpiùsq; repetitis precib⁹ Iaponicam Missionem efflagitaret. Fauebant homini, tum prima experimenta virtutis iam satis Romæ nota: tum præcipuè ille spirans in literis animi vigor, qui Diuinum testaretur Spiritum; qui cuius accenderit voluntatem, ita flagrat, vt & huic postulandi efficaces gemitus, & alijs postulata concedendi vberem largiatur gratiam. Jnterea dum Româ à Præposito Generali responsum præstolatur; non minus quàm

quàm antè gnauum se in ijs & industrium, quæ occupationis essent domesticæ, exhibuit. Idem orationis productæ tenor, corporis per aduersa exercendi auctum studium, promouendi pietatem in eis inter quos versaretur, feruens zelus; vt tum domestici, tum qui cum illo agebant externi, recederent suaui deuotionis gustu delibuti, & moderatâ hominis grauitate ædificati. Facilè erit colligere mentem ipsius ex hisce literis, quas Calissio ad Sororis maritum dederat, Anno. 1623. 10. Augusti. Et sunt eiusmodi.

I. M.

Perillustris Domine.

PRo ea quâ domi suæ & me & Religiosos Societatis nostræ, tractauit humanitate & beneuolentia, vnà cum Fratribus meis refero quas possum gratias: quin & Diuinam Maiestatem obligatam, vt ita dicam, Dominationi Vestræ denuncio. Eius quippe infallibile promissum est, sibi id factum esse, quidquid eius seruis minimis exhiberetur charitatis. Sani & incolumes Dei gratiâ Calissium rediÿmus, vbi ad tempus aliquod locus præfixus est à Superioribus commorationi meæ. Hic ego Diuinam deprecabor Maiestatem, vt Do-

Dominationem Vestram cum Illustri Coniuge sua, ad felicem & fortunatum æternæ vitæ terminum, per hosce anfractus periculosos deducat. Neq; falli videor, cùm & quotidiani euentus rerum, vicissitudinesq; temporum nos doceant, & quotidiana hostilis incursus pericula Barbarorumq; minæ admoneant, seriò vigilandum esse. Non dubito equidem Perillustrem Dominationem Vestram iuxta talentum prudentiæ à Deo concessum, considerare hæc in mentemq; vocare frequentiùs: cùm constet quantulamcunque huius effluentis temporis moram æternitati comparatam, atomi instar vnius, punctiq; minutissimi censeri. Et tamen punctum momentumq; illud tantum pondus retinere Sancti viri edocent, vt illud negotiationem æternitatis esse pronuncient: cuius lucris si quispiam deses ignauusq; indormierit, pauperem se & virtutis vacuum, adueniente horâ mortis, sit reperturus. Maiorem itaq; in modum peto, tanquam is qui medullitùs felicitatem & beatitudinem, quæ à Deo est, à Diuina Maiestate Dominationi Vestræ apprecor, vt Perillustris Vestra Dominatio vtatur hisce medijs, quæ vltrò nobis à Deo proueniunt, Sacræ nempe Communionis & Pœnitentiæ Sacramentorum frequentiâ. Multorum iam hæc vsu recepta consuetudo est, vt singula Beatissimæ Virginis festa,

ſta, deuotâ Eucbariſtiæ ſumptione celebrent, quos etiam commune eſt, fauorem benedictionemq; Diuinam, in perplexis impeditisq; negotijs experiri. Quare & Dominatio Veſtra ſi eiſdem inhæſerit exemplis, vſu ipſo ediſcet, Diuinam Maieſtatem, intercedente Pretioſiſſimâ Virgine Matre, tum præſentes negotiorum ſucceſſus, tum Jlluſtris prolis incrementa felicia, eſſe largituram. Hæc ille plano ſimpliciq; candore, ſed prudenti & profectus ſtudiosâ oratione.

CAPVT VII.

Curſu Philoſophico finito Romam abit, indeq; in Luſitaniam.

FInito demum Philoſophiæ triennio, hanc, quam adeò efflictim deſiderabat & frequentibus literis petebat in Iaponiam nauigandi licentiam, tali opportunitate eſt conſecutus. Venerat eo tempore Romam, ab vltimo Oriente per tot terrarum marisq; diſcrimima eluctatus P. Sebaſtianus Vieira Societatis IESV Procurator Iaponiæ. Itineris remotiſſimi cauſa fuerat, Admodum Reuerendo Patri

Mutio Vitellesco illius Prouinciæ difficultates maximas exponere, & promouendo Christianæ Religionis bono, contra sæuam persequentis Tyranni crudelitatem, nouos Athletas & socios colligere. Rumor hic omnibus diuulgatus Prouincijs, erexit Alberti animum, & tanquam signo dato excitari sentiret torporem suum, Romam redeundi facultatem vehementissimè expetijt: vt partim desideria semel inchoata ad felicem deduceret successum: partim Theologica studia, ad omnem occasionem intentus, in eodem scientiarum omnium theatro perdisceret. Concessum est quod petijt. Breuiq; consalutatis omnibus, properatisq; itineribus Romam profectus est. Et quamuis multa alia se se obijcerent pertractanda, nihil tamen prius potiusq; fuit, quàm re cum DEO, cœlitibusq; diligenter communicatâ, eodem P. Sebastiano tanquam interprete voluntatis suæ, simul & intercessore apud Generalem Præpositum Societatis vti, inscijs qui illic degebant Polonis Patribus, ne eiusdem regionis affectus magis retinendi Domi Illustris sanguinis, quàm apud Barbaras fundendi, propensione laboraret: iteratisq; multis

vi-

vicibus preces interponere. Grauis primùm in concedenda facultate Præpoſitus Generalis viſus eſt, cùm ſecum ipſe diſpiceret, etiam Prouinciam Polonam deſiderare eiuſmodi viros, qui ſe & Chriſtianæ Religionis, virtutumq́; cauſæ promouendæ impenderent, & graſſantibus tum aliorum, tum Hæreſum malis, pari zelo, pariq́; virtute opponerent. Sed quò ille in annuendo tardior, eò Albertus in fundendis ad DEVM eiusq́; Pretioſiſſimam Parentem Virginem orationibus productior. Itaq́; cùm eidem Matri ſuæ in Eccleſia Diui PAVLI extra mœnia (ante imaginem eius, beneficijs iam ante in Societatem præſtitis inſignem) cum profunda ſupplicatione, ad eam ſe miſſionem liberaliter offert, gratiam tantum munus impetrandi & exequendi poſtulans, ſenſit ſe inuſitata deuotione intus moueri, plenusq́; ſpei & cœleſtis ſecuritatis, dum ad Collegium reuertitur, optatiſſimum rumorem à Patre Vega Luſitano accepit, inclinatam Patris Generalis ad illius propoſita voluntatem, Miſſionemq́; in Iaponem Patri Sebaſtiano compromiſſam, quam ſententiam poſtridiè ab ipſo Præpo-

sito Generali accepit profusissimo cum gaudio, & gratiarum actione tali, qualem tot exantlanti in expectatione dies, tot præmissa desideria excitare potuerant. Ibi tum primùm exultare animo, nec se præ lætitiâ capere: iamq; Diuinæ Maiestati, iam Beatissimæ Dei Parenti Virgini humillimas & frequentissimas agere gratias, quòd se tam beato sint dignati munere prædicandi apud Infideles Euangelij, & in ea causa, sanguinis vitæque profundendæ. Quo vero tantum negotij subiret munitior, adibat quos poterat vsu rerum & spiritualis vitæ experientiâ commendatos Patres: & tum per literas cum absentibus, tum per colloquia præsentium, requirebat modos industriasq; sacras, quæ & proprio conseruando seruirent feruori, & ad aliorum animas Deo, Fideiq; Sanctæ conciliandas, valerent impensiùs. Eiusmodi autem commotiones pias, sanctaq; proposita, vbi multis precibus emendicasset, alia memori animo recondebat, alia, ne memoriâ excíderent, etiam chartæ inscripta, aut libello mandata, secum deferebat, quo ad manum haberet, quoties vellet, ad illam regulam normamq; rationes animi exigeret.

Vnum & alterum eiusmodi propositorum proferam hîc exemplar, quod R. P. Ioannes à Buêra designatus in Mexicum Visitator, à sanctæ memoriæ P. Alberto discessuro in Iaponiam multis precibus, longàq; familiaritate describendum obtinuerat. Et primum quidem erat R. P. Gasparis Drużbicki, tunc Prouincialis Poloniæ, quem vt Patrem summo amore P. Albertus coluit, & impensissimè est veneratus, datis à Manila in Poloniam vsq; frequentibus, & affectùs Religiosi plenissimis literis. Est autem eiusmodi.

1. *Ama veritatem quocunq; modo cognitam, & à quocunq; propositam, eiq; cede, nec contra illam mutire perge.*

2. *Dignitati Dei deuotus esto; & pro eius ad momentum vnicum exaltatione, omnium bonorum iacturam nihili facito.*

3. *Morere tibi, & pereas assiduo contemptu, odio, diffidentiâ, accusatione, obliuione tui, rectâ intentione, neglectu tui, ob curam circa te Dei, & voluntatis Diuinæ sponsali amore.*

4. *Sub quacunq; conditione Deus se tibi offerat, vel obtrudat, æqualiter illum ama, æstima, honora.*

5. *Contemni appete, euita linguas & censuras*

hominum, easq; non fugiendo ac impatienter ferendo, sed negligendo, & curare timereq; non dignando euince. Tolerantiâ linguarum te satia, satura, sagina.

6. *Amare inimicos, æmulos, inuidos, ita seriò disce, ac si ab ea re tota series prædestinationis tuæ pendeat. Sic enim eris filius Patris Cœlestis, qui pluit super iustos & iniustos.*

7. *Vindicare te, tuasq; iniurias & molestias nunquam cura, imò quoad fieri potest, neq; in mentem veniat tibi.*

8. *Immola Deo in sacrificium honorem tuum omnem, quem habere potes à virtute, scientiâ, officio, genere, rebus gestis; immola autem super aram linguarum humanarum, dando singulis hominibus facultatem loquendi de te, sentiendiq; quidquid libuerit, sine vlla quantum ex te est iniuria tua, & restituendi tibi famam, obligatione.*

9. *Ama labores, difficultates & pericula propter Deum, & eius gloriam, profectum tuum, & animarum lucrum, eo ipso, quòd sint labores, difficultates atq; pericula. Est enim dignus Deus, vt difficilia propter illum agamus, & nihil est tam difficile, quod audendo non fiat facile.*

10. *Crucem, ignominiam stultitiamq; Christi ne eru-*

erubesce: imo Professor horum sine dissimulatione vlla esto: si tamen dignus es stultus reputari propter Christum. plus enim hic est gloria, quàm confusionis.

11. *Esto fidelis Deo, & proba illi fidem tuam, ita vt Deus absq; vllo metu audeat committere tibi omnia bona sua, certus quòd ex his nihil ei suffuraberis, iactando te, amando te, complacendo tibi, fidendo tibi, attribuendo tibi.*

12. *Me qui hoc te rogante scripsi in Deo ama; in Christi vulneribus repone; Pretiosissimæ Dei & Nostræ Parenti commenda; in voluntatem Dei demerge, ac tandem viuum mortuumq; viuus & mortuus tuis orationibus, & omni meliori modo adiuua.*

Conseruus tuus Gaspar Druzbicki.

Aliud verò quod sequitur in Patris Alberti libello à Patre Francisco Franco proprijs fuit expressum characteribus, ac nomine obfirmatum. Cuius hæc sunt capita quæ subijcio.

1. *Quæcunq; tibi aduenient, siue prospera, siue aduersa, siue infirmitates, morbi & dolores, siue ab extrinsecis etiam cum summa malitia, contradictione & alia inferentibus siue ab ipsa natura, omnia vt ab ipso Deo tibi ordinata, disposita suscipe animo alacri & constanti Chri-*

 stum

stum imitando, qui dixit, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.

2. Quotidie, dum manibus Christum sumendum in Sacro tenes, instanter ea pete, quæ tibi Deus petenda demonstret, & ea quorum sentias tibi esse opus: præterea æternam salutem, perseuerantiam in gratia, & Societate & similia.

3. Zelum & salutem animarum quotidie sæpissimè à Deo petere, & ad hunc finem aliqua opera Deo offerre.

4. Nihil vnquam contra dictamen rationis operari, & in omnibus te vincere quibus possis.

5. Cura Christum Dominum sequi, passionem suam continuâ memoria tenere, ac illum instanter exora, vt te sibi similem faciat.

6. Quando aliquid à Deo vel ab hominibus consequendum curas, nec potes, etiamsi tibi tuæque saluti videatur necessarium, non ideò tristitiam vllam vel animi perturbationem admittas; sed hac consideratione lætus euentui acquiesce, nec tibi conuenire, nec Dei fuisse voluntatem.

7. Dum rem arduam facturus dubius fueris, an facienda, vel quomodo, non relinquas tibi resolutionem, sed vel Superiorem vel virum prudentem & sanctum adi, & quidquid ille dixerit,

xerit, vti à Deo tibi dictum existima: & sic saltem moraliter nunquam errabis.

Franciscus Franco.

Eiusmodi sanctissimis legibus & generosioris animi propositis, tanquam exquisitis antidotis, cordialibusq́; electuarijs munitus, cursu Theologico nondum finito Anno Domini, 1630. in Portugalliam proficiscitur, prout Lauretum datæ ab ipso literæ ad vnum è Societatis Patribus testantur his verbis. *Prope diem iter ingrediar cùm comitibus meis. Isthac transibimus salutandæ Deiparæ gratiâ. Interim Reuerentia Vestra pro me summo ardore precetur, qui nunquam aliàs æquè indigeo, præsertim ex quo magis vsq; ac magis mearum infirmitatem virium agnosco. Nisi ope Diuinâ fulciar, succumbam oneri grauissimæ expeditionis susceptæ. Sed ego me solor eâ cogitatione, quòd qui dedit velle, dabit & posse; idq; multo maximè, cùm ad vim efficaciamq; respicio orationum amantissimorum meorum Patrum ac Fratrum*, Eiusdem sensûs & aliæ sunt, quas ad Præpositum Prouincialem Poloniæ, tutelæ ipsius & patrocinio, bona quæ Cracouiensi Collegio donauerat commendans, ex quibus pauca delibo. *Ego fortè discedam in Hispaniam post septem dies*

(has autem cùm ſcriberet dies 27 Decembris fuerat) *certò tamen adhuc neſcio. Reuerētiæ Veſtræ vt meo antiquo amico commendo (ſiquidem iam non potero frui beneficijs Reuerentiæ Veſtræ in alio) ſaltem vt præbeat ſe defenſorem bonorum, quæ reliqui Collegio Cracouienſi pro gloria Dei.* & paucis interpoſitis lineis. *Mi Pater amantiſſime cōmendet me Deo, vt in omnibus faciam voluntatem Dei, & perficiatur in me gloria ipſius quàm maximè, & ad finem Sanctiſſimis me Sacrificijs Reuerentiæ Veſtræ multum commendo, & quod caput eſt, Sanctiſſimæ voluntati Dei & gratiæ ipſius & Pretioſiſſimæ Matri Noſtræ commendet me quæſo.* Quare vbi omnia itineri maturata eſſent, & facultas diſcedendi conceſſa, commemorationis omnium fidelium defunctorum die, tanquam & ipſe huic ſæculo Orbiq; noſtro vitâ functus eſſet, Româ digreditur. Expeditionis adeò remotæ apparatus totus fuit, vt nudus omninò proficiſci voluerit, omniq; prouiſione corporis protegendi à tot itinerum iniurijs, vacuus. Multis illi ægrè perſuaſum rationibus, vt exornando S. FRANCISCI Xauerij corpori, ante iam pridem deſtinata donaria, & pauca quædam munuſcula pia, pro noſtris iſthic degentibus, aſportaret. Summo

mo illius dici mane, noſtris emortuali dicendo officio, ſacriſq; piacularibus occupatis, nemine ex Patribus Polonis comite, profectus eſt. Cognitum mihi tamen ab ijs, qui diſceſſuro præſentes aderant, Romæ commorantes ſtudiorum causâ Poloni Iuuenes, vt vultûs alacritatem inſolitam in Patre Alberto effulſiſſe, tanquam votorum omnium apicem ſummamq; conſecutus fuiſſet & verbis reſolutionem Heroicam: ita non potuiſſe continere, vt cuiuis pateret nullius alterius reſpectûs, quàm ſolius CHRISTI amoris impetu, eum in eam Miſsionem afflatu impulſum fuiſſe. Hæc illius ad familiares frequētiſſima vox. *Quidquid mihi temporalium Diuina contulit manus, Diuinum iterum omni iure abdicato feci: hoc, quod reſiduum eſt homini peccatori, miſerum corpus, eandem in arenam reſtituendi per manus carnificum Deo libens lubensq; magna animi conſolatione, defero.* Iamq; mulum aſcenſurus, circumſtantibus, & iter feliciſsimum apprecantibus conterraneis, arripiens ligno elaboratam Crucem (credo illam, quam moris in Societate eſt, ituris in Indias à Præpoſito Generali cum benedictione paterna tradi) eam cingulo depoſitam cordi

di arctissimè adstringens, vltimam hanc voluntatem valedicturus testari voluit. *Hoc signum* (ait) *Sanctissimæ Crucis mihi amicorum omnium consolationisq; omnimodæ locum obtinet. Quæcunq; à me haberi aut optari potuerunt, tanquam veteris mundi, veterisq; hominis exuuias sponte deposui. Nouus ad quem tendo Orbis, nouusq; quem inducere cupio, homo solatia omnia Cruce hac ipsâ dimetientur.* Hæc vltima abeuntis verba fuére, quibus circumstantes iam familiares Crucis amore impertitus, & mirificè est consolatus. Itinere hoc exacto feliciter Eboram peruenit.

CAPVT VIII.

Eboræ Theologica studia prosequitur. Primam Diuinæ Maiestati offert Hostiam, Indicum iter aggreditur.

EBoræ, intermissæ quam primùm Theologiæ operam studiumq; adhibuit, expectans in dies occasionem commodam itineris Indici. Quo tempore magnam inter socios admirationem virtus ipsius obtinuit, tum in humili ad quæq; extrema

of-

officia ſubmiſsione, tum in obſeruantia religioſarum præſcriptionum diligenti: ſed maximè enituit in eo flagrans Iaponicorum Martyrum prædicatio, ita, vt ardentes eius animi ſermonumq́; faces, etiam multorum aliorum pari deſiderio corda accenderent. Omnes illius ordinariè diſcurſus, ſpectabant Iaponiæ lenta incendia, prægraues ſecures, ſcrobes foſſaſque; quas non immanes humani corporis lanienas diraq́; tormenta, ſed amore Redemptoris ſui glorioſos agones, victrices Fidei triumphos, & æterna reuinctas lauro coronas, recenſebat, idq́; non Eboræ ſolùm, vbi illi diutiùs commorandum fuerat, ſed & quâ curſim breuiterq́; tranſeundum, Conimbricæ & alibi, eadem vbiq́; opinione probitatis & feruentis animarum zeli relictâ.

Jn eodem Eborenſi Collegio, antequam Theologicis ſtudijs manum vltimam impoſuiſſet, ſacris admotus eſt Ordinibus, per Reuerendiſſimum Dominum Apollinarem de Almeida, Niceæ Epiſcopum, è Societate IESV aſſumptum, (qui poſtmodum in Æthiopia CHRISTI propagando Euangelio intentus, Epiſcopali Tiaræ Apoſtolici agonis

nis ſuperati lauream, morte pro CHRISTO fortiſsimè obitâ adiunxit.) Quos ita præparati deuotione animi ſuſcepit, tanquàm ab illa manu, non modo ſacræ DEO ex vnigenito Filio ipſius offerendæ hoſtiæ poteſtatem ſibi conferri crederet, ſed ſimul vitam quoq; propriam & ſanguinem, pro eodem Domino ſuo, per manus inimicorum Fidei in holocauſtum pleniſsimum immolandi omen acciperet. Primum DEO Sacrificium in Societatis Eborenſi Eccleſia obtulit die Purificationi DEI Parentis Virginis ſacro, ſummâ conſolatione animæ ſuæ, & excitatione pietatis non minoris. Cuius indicium aliquod præbent literæ illius, datæ Eborâ 25 Aprilis Romam, quarum hîc aliquot verba profero. *Polonis ex mea parte dicat, me nunquam vixiſſe in mundo magis lætum, quia ſcio me iturum in Iaponiam Deo volente, nihil enim nobis omnibus iucundiùs, quàm pati & agere propter amorem Dei:* Mox anno ſequente [die] 8 Martij, ſcribit Vliſippone his verbis. *Longiorem aggredior viam, nec mihi Dominus deeſt: cuius gratiam tantò vberiorem experior, quantò longiùs à Patria & à meis me abeſſe video. Lætus viuo & viuam, in quotidianis ſeu potiùs momentaneis periculis mortis,*

in

in ſolo Deo ſpem habens, lætius quàm olim tot impenſis ſecuritates & delicias quærens. Reuerentiæ Veſtræ gratulor primitias: ego quoq; celebraui Sacrum primum Eboræ in die Purificationis Dominæ noſtræ, 2. Februarij.

Finitis Eboræ ſtudijs Vliſiponem proficiſcitur, vbi iam propiùs ex portu ſpecularetur & metiretur latiſsimè profuſo mari deſideria conatusq; ſuos, firmaretq; mentem, quam aduerſi non terrerent fluctus, ſed quietam excitarent gaudij & lætitiæ, in media tempeſtate, malaciam.

CAPVT IX.

Iterum reuocatur in Patriam.

ACcedebat iam conſueta penetrandi in Jndias per vaſtiſsimum Oceanum commoda occaſio. Paratæ naues propediem ſoluturæ, commeatu viriſq; & alijs, quæ vſui forent, inſtruebantur. Inſtruebat quoq; & P. Albertus diſponebatq; iter ſuum, non tam vſualium rerum & commeatûs affluentiâ, quàm aduocatorum è cælo auxiliorum, animiq; ad patientiam compoſiti præparatione omnimodâ. Cùm iam

iam iam abituri & propè nauem conscensuri destinatos conatus literæ à Præposito Generali Societatis expeditæ plurimùm interturbarunt. Illis quippè continebatur expressum mandatum, vt profectione Iaponicâ intermissâ, & alteri reseruatâ tempori, Romam rediret; inde postmodum Poloniam properatis itineribus reuisurus. Inexpectatus hic rumor, cùm præfinitæ felicitatis P. Alberti præcideret inchoatam iam, benèq; productam telam, profundè animum vulnerare debuisset: illum tamen breui collectione præmissâ, ita offendit paratum; vt ex genio & normâ Societatis, nullis interpositis moris & querelis aut excusationibus, versatilis instar sphæræ, quâ iuberet mouentis voluntas, siue ab occidente in orientem, siue conuersis itineribus, facili impulsu moueretur.

Causa autem eiusmodi mandati hæc fuerat. Abeunte Romam sanctæ memoriæ P. Mećinio, & post impetratam Missionem Japonicam, in Lusitaniam translato, extinctâ recenti memoriâ præsentiâq; ipsius, & excitatis nouis quibusdam controuersijs, apud virum, præcipuæ notæ Nobilem, eun-

eundemq; Patris Alberti cognatum, ab eodem ipſo lis Cracouienſi Collegio, cui ille poſſeſſiones legitimè inſcripſerat, & augendæ Fundationi donauerat, mota eſt. Donationem ſcilicet & inſcriptionem illam, ex eo fuiſſe inualidam & nullam, quod ex legum Patriæ more & præſcripto, non adfuerit ipſemet præſens donationi huic ad Acta publica conſignandæ donator, ſed alius quiſpiam, vultum eius effigiemque mentitus: qui tam publicis Actis, quàm ſucceſſoribus hæreditarijs illuſerit, hæredesq; ac ſucceſſores legitimos, qui ſanguinis nexu proximè ad hæreditatem adeundam ius haberent per fraudem amouerit. Agitata cauſa eſt in Tribunalitijs Regni Poloniæ Iudicijs, enitente modis omnibus aduerſario poſſeſſiones iam inſcriptas in ſortem ſuam vindicare. Nimirùm homo ille argutè ſibi perſuaſerat, impoſſibile eſſe reuocari Patrem Albertum ab vltimo orbis termino, Oceani iam fortaſſe abſorptum fluctibus, aut extra notitiam hominum reiectæ alicui regioni inhærentem. Hinc audaciùs aliqui arrreptâ occaſione, Societatis calumnioſè proſcindebant famam. Relegatum ſcilicet in Iaponiam P.

Albertum Męćińſki ideò; vt faciliùs per fraudem in eius inuolarent hæreditatem; neq; liberum ei relinquerent, diſponere poſſeſſiones tali modo, qualem ipſi iura ſanguinis, & beneuolentia erga ſuos dictaſſet.

Decreto itaq; cauetur, causâ vt noſtri caderent bonisq; cederent niſi ad præſcriptam diem P. Albertus Męćińſki præſens iudicio ſiſteretur. Ad has anguſtias reuocato negotio, explicarunt Polonæ Prouinciæ Patres Admodum Rñdo Patri Generali Societatis, laborantis cauſæ neceſſitatem & vindicandi boni nominis inſtantem curam. Cenſuit Admodum Rñdus Pater, penſato potiſſimùm famæ boniq; nominis Societatis periculo, expeditis quam primum literis P. Albertum in Poloniam reuocare. Factum id non minùs accuratè, quàm feliciter. Redijſſet fortaſſe alius demiſſo vultu & frontis aliquâ nube per mœſtitiam inductâ; ſiquidem amoueretur ab ea occaſione, ad quam propter emerſuras de nouo rationes, nunquam fortaſſe rediturus eſſet: ſed mihi conſtat ex quodam Societatis Patre, qui redeuntem ex Hiſpanijs Patrem Albertum conſpicatus,

tus, ita de eo retulit. Vidi hunc cùm in Hiſpania eſſem, virum profectò ſuis natalibus, imò Sanctorum concilio dignum, hilari vultu atq; explicatâ fronte redeuntem in Patriam; tanquam ad alienas contenderet oras; certum, redire propediem, fugientemq; ſequi Iaponiam, neq; prius deſiſtere, quàm obtinuiſſet.

Hac ille animi reſolutione Vliſſipone profectus, iam Genuam primum Italiæ portum attigerat. Sed & illic vrgentes Admodum Rñdi Patris Generalis reperit literas, quibus iniunctum ei fuerat, vt omiſsâ Româ alijsq; ambagibus, rectâ in Patriam properatis itineribus tenderet. Quod & fecit, ita Diuinâ prouidentiâ totum diſponente iter, vt extra omnem ſpem, ipſo die cauſæ tractandæ, & ſui ſtatuendi ad iudicium, præſcripto penè momento, præſens Pater comparuerit. Exultabat iam interea animo ſuo, nihil adhuc de Patris reditu referri audiens aduerſarius, & tacitus præ tenſioni iniquæ, gratulabatur victoriam. Amici & cauſarum Socieatis Patronus, ſciſcitabantur ſummo mane ſoliciti, num aliquid de P. Alberto inaudierint Patres. Et ille quidem iam aderat, totusq; rebus

procurandis Diuinis vacabat, Diuino tum Missæ peragendæ sacrificio occupatus, cùm iam aduocata causa definienda esset. Patronus productâ ad tempus modicum negotij tractandi morâ, omnibus nihil tale sperantibus, Patrem Albertum stitit in iudicio. Illeq; præsens, quæcunq; adductæ fuerant prætensiones cognati confutauit, & obstinatè neganti parti illum ipsum esse Męćiński, sed aliquem alium, rursus ipsius loco subordinatum substitutumq;, aperta testimonia, & claras, ex quibus poterat agnosci, protulit notas, in ipsoq; Iudicum medio, veræ suæ, & minimè ementitæ personæ reperit testes. Quibus omnibus consideratis Iudices, pro parte P. Alberti decreuêre. Qui nactus causæ victoriam, eliberatâ Societatis innocentià, inscriptionem donationemq; bonorum eò fecit firmiorem, quo illam inclinare magis pars aduersa nitebatur.

Sub hunc eius in Poloniam reditum accidit, vt quidam ex amicis multa cum Patre de hac eius in Indiam Iaponiamuè profectione labefactandâ pertractans, ac frustra verba fieri videns, tandem dixerit. Jret Pater in Indiam, quoniam ita staret ani-

animo: at Iaponiam, vbi indubitata, poſt enormes lanienas, inuſitatosq́; cruciatus, mors eum expectaret, ne omninò attingeret. Martyrium namq́; periculoſum opus eſſe: neq́; cuiuis etiam ſingularium Sanctorum à DEO concedi ſolitum: animoſiùs illud ab aliquibus optari, & quæri, quàm inuentum poſtea peragi. Ad hæc Pater reposuit in hunc modum: Miſſionem Indicam curæ ſibi nec fuiſſe neq; eſſe: ſuſpectum me de curioſitate, aut aliqua ſimili vanitate mentis meæ in eius deſiderio haberem. Quod deſidero & quæro ex animo, Iaponia eſt. Iaponiam peto & anhelo, & quidem ideò, quia illa hoc tempore plena crucibus, plena Martyrijs eſt. In quibus appetendis, puto me meo ſpiritu non agi, ſed CHRISTI: ab eo ſpero certum auxilium, & certus ſum, quia qui dat velle, dabit & perficere. Par reſponſum alteri quoq́; amico alia occaſione Romæ repoſuit, de quo inferiùs cap. 22.

Compoſitis breui tempore ex animo negotijs in Polonia, amplectitur iterum tantiſper intermiſſum profectionis ſuæ laborem, & Romam primùm, tum deinde Conimbricam & Vliſſiponem delatus eſt. Româ

mâ cùm iam discessionem pararet, scripsit ad Præpositum Prouinciæ Poloniæ, quibus post multa, quæ mutuæ erant charitatis, ita demum itineris sui successum eidem commendat. *Caterùm mi Pater, sanctissimam Dei voluntatem precibus fatiga, vt flectat se ad dandam in cruce perseuerantiam mihi vsq; ad mortem, & gratias necessarias vero Societatis Filio ac operario. Istud est totum, quod peto à Prouincia mea, orationes quàm plurimas, & à Vestra Reuerentia maximè, tanquam ad clauum sedente. Romæ 28 Septemb. Anno 1630.*

CAPVT. X.

Iterum Indicum aggrèditur iter, sed contrariâ tempestate arcetur.

PRofectus exinde Conimbricam, mox Vlissiponem, soluit in Indias Anno Domini 1631. cùm alijs è Societate IESV Patribus. In tota hac nauigatione præbuit exemplum singulare humilitatis & charitatis, quâ non modò vsus est erga Societatis homines, sed promiscuè erga omnes cuiuscunq; conditionis, maximè verò

rò pauperes & nauicularios, qui ex zonæ torridæ exceſſiuis caloribus contracto morbo, magnam in naui ſubiêre ſtragem. Jacebant paſſim depoſiti ægri, quos ardor ſolis deſuper, intus putrida febris abſumebat, æſtus ab inde & ſitis; hinc inter vitalia ſerpens lues, per eiecta vlcera, & vermibus ſcatentem ſaniem, virus latè ſpargebat, & omni commeatu inſtructiſſima nauis, mobile quoddam fieret inter vndas Noſodochium. His tamen omnibus & Medici & miniſtri officio Pater Albertus perfunctus eſt, adeundo ſingulos, & miniſtrando apta remedia; quantum aut exilis medicaminum apotheca ſufficere, aut acerba & putrida morbi contagio pateretur adhiberi. Atq; hîc emicuit ſuauis illa DEI prouidentia, quæ Patrem Albertum olim adoleſcentem Cracouiæ medicinæ præceptionibus, præter omnem Nobilitatis Polonæ morem, operam dare diſpoſuerat: quibus nimirum ille, tum iſtâ, tum aliâ occaſione opportunè vtens, & alijs, & ſibi, & imprimis DEI gloriæ inſeruiret.

Jnter decumbentes vbique ægros, dum verſatur impiger Albertus, contracto ex magna itineris incommoditate aſſiduisq;

vigilijs & laboribus articulari morbo, grauiter & ipſe decubuit; totaq; anni illius expeditio irrito euentu ſuſcepta eſt. Siquidem poſt enauigata periculoſiſsima maria, lectis duntaxat Braſiliæ littoribus, iterum in Luſitaniam redière naues, prout ipſiusmet Patris Alberti literæ ad Rñdum Patrem Gaſparum Drużbicki Prouincialem Poloniæ datæ teſtantur, totamq; expeditionis huius ſeriem declarant. Sunt autem eiuſmodi.

Reuerende in Chriſto Pater.

Pax CHRISTI.

Toties ſcripſi Rñtiæ Veſtræ, & nihil hucusq; accepi literarum. Itane oblitus Reuerentia Veſtra noſtræ amicitiæ? & paucis interpoſitis *Ego paulatim cœpi conualeſcere ex morbo articulari, qui me tenuit in lecto octo menſibus. Vna conſolatio mihi in doloribus intenſiſſimis hæc fuerat, quòd is contractus in Indica nauigatione: cuius ſeriem iam antea ſcripſi ReuerentiæVeſtræ. Nam poſt emenſa quinque millia leucarum Hiſpanicarum, progredientes vltra lineam æquinoctialem, & littus Braſiliæ, longo tractu per Oceanum Æthiopicum ventis contrarÿs impulſi, reuerſi ſumus in Luſitaniam. Non tamen deerat campus exer-*

exercendæ virtutis, seruiendo ægrotis, excipiendo confessiones, idq; inter corpora tabo & squalore consumpta, præ vehementi calore zonæ torridæ, ita vt multi, antequam morerentur, à vermibus consumerentur. Ducenti homines mortui in vtraq; naui. Inter quos conseruandæ charitatis ego dum immoror, tandem & ipse febri oppressus decubui: & cùm peruenissem in Lusitaniam, per funem demissus ex naui, vix hominum humeris delatus in lectum fui. Et dum hæc scribo adhuc non integris viribus sum. Sed fortassis hæc videbuntur alicui amara: ita amara sunt, vt iterum ad illa redire non pigeat. Vera vita hominis Societatis, pati propter IESVM. *Hoc anno sequenti, iterum redeo, maiora pati desiderans, ita illæ miseriæ, non solùm animum à proposito non auerterunt, sed potiùs accenderunt. Nescio quid dulcoris absconditi est, pati propter Christum. Vestra Reuerentia oret pro me; & impetret, vt tota vita mea in laboribus, ærumnis, doloribus, cruce, igne, morte, propter Christum transigatur. O me felicem! si scirem bene pati. Hæc breuiter nunc, ampliùs postea scripturus. Faciat mihi charitatem, vt sciam aliquid de statu Regni, Collegij, & Bonorum, & Patrũ, & Fratrum. Vicissim scribam R̃ntiæ Vestræ. Dat: Conimbricæ 20 Octobris. A. D. 1632.*

Seruus ex corde, Albertus Męciński.

Quibus literis, non modò ad valetudinis vsq; discrimen continuorum laborum descriptio, sed & ad vlteriores perferendos, excitata animi promptitudo, nullis frangenda aduersis, perspicitur.

CAPVT XI.

Nauigatione Indica, periculis & patientiæ plenissimâ perfungitur & Goam vsque sanus peruenit.

POstquam è morbo redeuntibus modicè viribus, aliquantum resumere sanitatis cœpit, nullatenùs ab inchoato perfectionis suæ studio destitit; nauigationem Jndicam cogitatione versans perpetuâ, & nouis accedentibus tribulationibus, tanquam affuso igni oleo, magis excitari patiendi pro CHRISTO desiderium sentiens.

Jnterim currente Anno 1633. solita ex more Regni illius, in Indias nauigatio classis Regiæ parabatur, iamq; aliquot triremes cum alijs minoribus nauigijs à portu soluturæ erant. Quarum vsus opportunitate Pater Albertus, profectus in Indias est, ve-

ctus naui B. V. MARIÆ ſacrâ, & à naſcentis in terra æterni Verbi ciuitate, nominata Bethleem, tanquam Pretioſiſsima Parens, præter eam, quam clienti ſuo, ſemel in protectionem accepto, cœlitûs ſubminiſtrabat opem, etiam præſes eſſe nauigij dignaretur, ad clauumq; gubernatura cum Filio conſideret. Antequam ingrederetur nauim, literas toties iam nominato Patri Gaſparo Drużbicki dedit, quas hîc appono integras; tanquam eas, quæ & hiſtoriæ lucem præferant; & teſtes ſint magnæ curæ, quam Pater Albertus poſuit in eo, vt ſine offenſione vllius, plurimos lucraretur. Sunt autem eiuſmodi.

Reuerende in Chriſto Pater.

PAX CHRISTI.

TAndem poſt grauiſſimos morborum conflictus, aliquãdo cõualui, quamuis non perfectè: nam ſemper manſit aliquod reſiduum morbi articularis, qui me vexauit quatuordecim menſibus. Non tamen parùm puto lucri attulit hîc morbus, cuius principium longiſſima nauigatio Indica fuit, de qua iam hactenus ſcripſi Reuerentia Veſtra. Nunc iterum poſt vnum menſem, redeo in Indiam: ſiquidem è portu ſoluunt tres naues & duæ celoces

& duo galeones. Hoc vnum fateor, quòd multæ miseriæ, quas passus sum obuersantur menti assiduò sed valde dulcescunt omnia pro Christo suscepta. Imparem me profectò sentio tanto oneri, sed animat me fiducia in Deum, & sanctissima voluntas vocantis Dei. Mi Pater solicitè ora Deum, vt faciat in me adimpleri suam sanctissimam voluntatem, in omnibus tribulationibus, quas passurus sum. Fac quæso, pro tuo in me amore, vt aliqui in Polonia qui se putant aliquo modo offensos à me, per has literas (per quas suppliciter peto veniam) sciant omnimodè me velle ante illos humiliatum. Angit me scrupulus de quodam Nobili N. si fortè fui causa non fuisse illi satisfactum, in toto faciat quæso Reuerentia Vestra pro sua prudentia, vt reddatur contentus; re siquidem aliquà modicà id efficiet. Et quæso, Reuerentia Vestra commendet me Deo, tanquam verum suum amicum in Sanctissimis Sacrificijs. 4. Martij.

Reuerentiæ Vestræ in Christo seruus,

Albertus Męciński.

Eadem quoq; & aliarum sententia est literarum, quas Conimbricâ ad quendam scripsit. *Ego ex morbo in longa nauigatione contracto, adhuc non conualescens, nunc me itineri denuò committo. Vtinam feliciùs, quàm anno præteritò. Oret Dominum Reuerentia Vestra, vt*

ar-

armet me ſcuto patientiæ & fortitudinis, ad ſubeunda pericula pro gloria eius & honore. Jam expertus ſum in præterita nauigatione, & ſcio, quanti labores me maneant & quæ miſeriæ, ſed oportet nos eſſe fideles vſq; ad mortem.

Jter itaq; Indicum, nondum benè receptâ ſanitate (cuius certiſsimam medicinam difficultates & pericula eſt arbitratus) ingreſſus eſt 5 Martij, Anno Domini, 1633. quod quia ipſemet Collegio Cracouienſi Societatis IESV, literis ad illud datis, deſcripſit, nunquam credo mihi feliciorem venam in illis deſcribendis fore, quàm ei, qui hæc & egit & paſſus eſt, & ſcripſit. Literæ ſunt eiuſmodi.

Reuerendi in Chriſto Patres & Fratres Amantiſſimi.

Pax CHRISTI.

VIſum eſt mihi ſcribere his, quos in viſceribus Chriſti & amo & colo vnicè, & participes facere miſericordiæ & gratiæ, indigno exhibitæ à Dño, qui me in partem vineæ ſuæ Orientalis vocauit. Quod & per præſentes facio, ſupplex à vobis ſubſidia orationum petens; vt mihi in his partibus militanti, ex Septemtrione in Orientem præſto ſint, ad vincendum & perſeuerandum vsq;

ad

ad mortem: quorum virtute multa sæpè misericorditer operabatur in me Dominus, ad gloriam suam & animarum salutem. Breuiter itaque nunc scribo, sicut & antea scripsi quibusdam, me ante duos annos suscepisse nauigationem, id est, anno 1631. sed post visa littora Brasiliæ, reuersum denuò in Lusitaniam, & contracto ex longissimo itinere morbo articulari, ferè biennio decubuisse. Sed & hunc morbum misericordissimus Dominus auertit, & resumptis aliquantum viribus, denuò etiam tentare fecit. Atque ita inuocato eius sanctissimo nomine atque Deiparæ Virginis auxilio & Sanctissimæ Ecclesiæ triumphantis, solui denuò à portu Vlissiponensi. 6 Martij Anno Domini, 1633. in naui dicata Sanctissimæ Virgini Deiparæ, vbi iusserat mihi fieri cubiculum quoddam in meliore parte nauis Comes Castelli noui, Gubernator Ciuitatis Vlissiponensis, ad instantiam Filij sui ex Nostra Societate, cum quo mihi pridem magna intercesserat necessitudo: (quod nulli hactenus ædificatum fuit ex Patribus, excepto S. FRANCISCO) alij Patres socij mei ibant in puppi, in locis distinctis & conductis pecuniâ á Procuratore Prouinciæ. Omnes vnanimiter, dum è portu soluerem, ominabantur mihi mortem certissimam: quod ipsum & Medicus affirmabat, & dicebat: Patres debere habere scrupulum grauissimum, qui

me

me hoc iter suscipere sinebant. Postquam verò ingressus fui nauem, dimissis, P. Prouinciali ac reliquis socijs, summo mane multis in terra relictis, expandimus vela, & nauigauimus felicissimè dum appareret Insula Materia, & post aliquot dies insulæ Fortunatæ. Et transeuntes post vnum mensem lineam æquinoctialem, omnes ferè benè valebant, & omnia nobis ex voto benè succedebant: celebrabatur quotidiè Sacrum, & fiebat institutio doctrinæ Christianæ, & reliqua nostri instituti ministeria. At verò peractis tribus mensibus, magna in naui successit calamitas: siquidem subintrauit febris acutissima & pestifera: quæ quos afficiebat, breuissimo tempore è medio tollebat, simul quidam morbus horrendus: nam multis è parte secretiori effluebant intestina, & passim moriebantur. Hic nobis apertus est campus aliquid pro gloria Dei, tentandi. Jngressus est mecum noster Superior (nam plures duobus Sacerdotibus ex nostris non erant) facta resolutione moriendi in opere charitatis, & reliqui Fratres adiuuantes in operibus charitatis corporalibus, & nos in Spiritualibus. Post aliquot dies, statim vnum ex nostris Fratribus tabes illa infecit, & statim etiam nostrum Superiorem vocatum Sebastianum Aluarez, qui ambo aliquot dierum spatio, in opere charitatis, pro Christo sanctissimè hâc vita perfuncti

functi sunt. Successi ego in Superioratum, & in onus grauissimum. nam ferè octingentæ personæ erant in naui, quarum maior pars moribunda decumbebat. Nullus erat, qui exciperet Confessiones, præter me solum. Fratres, qui mecum erant, omnes acutissima febri laborabant, præter vnum Italum Coadiutorem, qui omnes mihi curæ erant, tam in medicinis ministrandis, quàm in cibis conuenientibus ægrotis. Hic ego obstupui super misericordiâ Dei in meipso, vires mihi & animum ministrante ita, vt carere illis continuis laboribus, & periculo præsentissimæ mortis, fuisset mihi idem, quod carere omni solatio. Fiebam quotidie fortior me ipso, à gratia inhabitante propter ministerium, & necessitatem hominum, quorum saluti consulere Dominus volebat. Et licet me indignum omni gratiâ propter mea peccata videbam: non indigni tamen erant, propter quos ea mihi à Domino conferebatur. Venimus tandem ad conspectum illius ingentis promontorij Bonæ Spei 4 Iunij, cum gaudio vniuersali, iactati aliquibus tempestatibus, & multis periculis superatis: præcipuè verò, cùm ignis è puluere tormentario erumpens, horrendum nobis incendium minaretur, nisi Dei misericordiâ raro euentu extinctus fuisset. Sic perreximus vlterius admirantes in mari mirabilia Dei. Nam sæpè propè nauim balanæ

balænæ ingentes, repræſentantes potiùs molem alicuius inſulæ, quàm piſcis, adnatabant. Sæpè & alterius ſpeciei piſces non notæ figuræ: donec tandem poſt vnum menſem, & aliquot dies, conſpeximus terram vocatam Moſambique. *Apparebant à longè palmæ prægrandes, & locus paucæ habens domicilia, præter propugnaculum inſigne, quod ibi habent Luſitani. Ræpreſentabantur mihi labores magni in eo loco* D. FRANCISCI *Xauerij, & morbi, quos ſubijt, qui me mirificè ſolabantur. Hic extra portum iecimus anchoras; ille enim ſtrictus eſt, & periculoſus & ſcopulis vallatus. Hoc ipſo die, primi fuerunt ad viſitandum nos Patres illius Collegij Moſambicenſis, ferentes ſecum nuces Indicas, magnitudine caput humanum ſuperantes, & alios fructus Indicos, quos in naui diſtribui Capitaneo, Epiſcopo de* Melliapor, *& alijs* Nobilibus *amicis meis. Miſi aliquos Fratres in terram ad conualeſcendum; manſi in naui ſolus. Sed poſtridiè ad inſtantiam Patrum, cum alijs viris præcipuis noſtræ nauis, deſcendi in terram, acceptus ſummâ Patrum gratulatione. Sed non diu poteram reſpirare. Nam ſecundo ſtatim die, ventus vehementiſſimus rupit nauium ancboras; at illæ ad effugiendum naufragium commisêre ſe mari. Tandem in parua cymba, cum Supremo nauium omnium Capitaneo (qui me*

secum relictis alijs arripuerat in cymbam præparatam) cum summo vitæ discrimine, ad nauim in mari errantem. Eâdem nocte, postquam iam nos commisissemus itineri, ventus cessauit, relictis nauibus inter scopulos, in quos impetu aquarum ferebantur, non sustinentibus impetum anchoris, sed in partes dissilientibus. Hic apparuit funesta rerum facies, eiulatus, & voces, & omnes certissimum iam naufragium expectabant. Accurrebant ad me subsidium postulantes, quod eâ quâ potui ratione pollicitus sum, perseuerando cum Fratribus in oratione. Sed nihil non tentantibus nautis, & naufragium expectantibus, venit in meum cubiculum Capitaneus: inuenit nos orantes, & rogauit, vt eius nomine votum offerrem nostro D. FRANCISCO: quod cùm offerre cœpissem, ille suâ voce subsecutus est. Aderat mihi fortè ad manum reliquia eiusdem Sancti, quam religari ad anchoram curaui. Statim adfuit Sanctus. Nam & anchora illa contra impetum maris tenuit nauim, cùm omnes aliæ rumperentur; & ventus adfuit talis, qui nos solus poterat ex illis scopulorum angustijs extrahere; & nautæ extrahentes anchoram, in qua subsistebat nauis, inuenerunt eam absque vncis, in quibus tota res anchoræ posita est. Quo viso multi in admirationem prorumpentes, exclamauère: miraculum! miraculum! Ab

hoc

hoc periculo expediti nauigauimus proſperè, quamuis non deerant venti impetuoſiſſimi, qui ingentem terrorem incutiebant. Tandem aliquando tot laboribus exantlatis, tot perpeſſis periculis, poſt Feſtum celebratum Sancti IGNATII *Noſtri in naui, magna ſolennitate, & Feſtum Aſſumptionis* B. *Virginis, 20 Auguſti apparuit terra, quam ſtatim agnouimus eſſe Goanam; quam ſtatim inuenire (maximè in Menſe Auguſto, quando in India hyems eſt) rarò vtiq; accidit. Non ſignificatum Patribus citò de noſtro aduentu; nam iecimus anchoras tribus leucis longè à ciuitate: ſed venerunt poſtquam iam egreſſi ſumus in terram cum multis inſtrumentis Muſicis, cantantes* Benedictus DEVS, &c. *Poſtea deducti in Collegium, cum magna charitate accepti ſumus. Deinceps noſter Pater Prouincialis, tulit nos ſecum in Inſulam Salſetanam (vbi etiam nunc iſta ſcribo) vbi exercitus integri Neophytorum nobis occurrebant. Nec certè fas erat nobis à lachrymis temperare, dum ad aſpectum idoli cuiuſdam, ex alia parte fluminis in terra Gentilium, nos ex altera parte glorificabamus Deum viuentem. Oblati mihi multi ad baptizandum, quos & baptizaui; & illis nomina Sanctorum Polonorum dedi, cum magna mea conſolatione. Vbiq; per illas Eccleſias excipiebamur, cum organis & inſtrumentis Muſicis diuerſi*

generis. Celebraui Sacrum in loco, in quo Martyrio affecti fuêre nostri aliquot: inter quos Pater Rudolphus Aquauiua; & aliquas exhortationes Lusitanâ linguâ feci. Hæc compendiosè volui scribere Fratribus meis amantissimis Collegij Cracouiensis, vt mihi impetrent à Domino, vt aliquod instrumentum gloriæ eius in his partibus fiam, cui vitam, sanguinem, & animam, æternum deuoui. Goæ 20 Februarij, Anno Domini, 1634.

Seruus in Christo indignus omnium,
Albertus Męcinski.

Ex hac ipsiusmet Auctoris relatione sincerâ, facilè est colligere, singularia DEI dona, & gratias, quibus viam famuli sui comitari voluit DEVS, suggerendo, occasiones patientiæ, & charitatis exercendæ, plurimas, quibus in adeò numeroso octingentorum hominum contubernio, laborandum fuerat soli, prouidendo tum spiritualia, quibus mentis excitaretur pietas, & deuotio; tum corporalia, per quæ Christiana declaratur charitas. Procliuis enim sensus ægrorum est, vt de cura corporis, quam circa se adhiberi vident, mentis, & saluādæ animæ, solicitudinem interpretentur. Itaq; illud, homini complexionis debilis, & nec dum confirmatæ valetudinis, additum cælitùs robur,

robur, quo vnus ipſe, cum aliquot ſocijs coadiutoribus, tantis ſufficere languentium poſſet curis, ſatis apparet, firmo illum vocantis DEI præſidio nixum fuiſſe, cuius causâ quæcunq; accidiſſent, veniebant illi vt lucra, & commoda, poſtquam mundi omnia feciſſet vt detrimenta. Legitur quoq; ex adeò mirabili ſucceſſu, Diui Indiarum & Iaponiæ Apoſtoli FRANCISCI Xauerij, magnum & cæleſte in illa profuſiſſima maria dominium, cuius inuocatâ ope, præſentiſſimo periculo ſubducitur nauis, monſtraturq; omni anchorâ firmiorem ſpem in DEVM eſſe, Sanctosq; eius iaciendam.

Salſetanæ Inſulæ recreatus oblectatione, quam ſanè limpidiſſimam, ex illo Neophytorum grege, ſuâ manu Chriſto regeneratorum perceperat; (neq; enim aliud Tuſculum deſtinato eſſet Martyri, quàm Martyrum è ſanguine, Chriſto ſurgentia noualia, & teneri fructus) reuertitur Goam iterum, vt ad Sacrum Diui FRANCISCI Xauerij tumulum, ab illo reſolutiſſimæ animæ capaci corpore, vnius ſeculi ſpatio incorrupto & integerrimo, ſpiritum vitalem Apoſtolici illius pectoris traheret, indeq; colligeret robur, ſuperſtitioni, & idololatriæ debel-

landæ. Quare vt ardentis sui erga Sanctum affectûs, simulacrum aliquod relinqueret, argento affabrè elaboratam lampadem, quam huic vsui in Patria è bonis suis reseruauerat, dedicauit. Addidit & tumbæ argenteæ, in qua Corpus eius depositum asseruatur, ornameta aliqua præcipuæ notæ, & artis; cupiens inuicem alijs animum exornari suum, quorum in illo thesauri cælestis depositorio, ingens thesaurus esset. Ibi ille multoties solidas impendens horas, tenero animi pietatisq; sensu admirabatur felicitatem suam, cui è proximo liceret liberetq;, nato sub Septemtrione frigido, venerari illud orientis solis, vas admirabile Excelsi electum ad portandum nomen eius coram tot populis & regnis. Sed præcipuè cùm cogitaret præsentem hic adesse Iaponiæ suæ Prodromum, & illos osculis frequentibus premeret pedes, quorum sacro cruore, inter hibernales niuium rigores, inter saxorum scopulorumq; asperitates, via sibi per Iaponiam esset iam consecrata: illic conferebat modos, & accipiebat noua promouendæ Religionis incitamenta, deniq; vitæ ipsius & sanguinis profundendi alacritatem admirabilem combibebat.

CA-

CAPVT XII.

Iaponicum iter aggressus ab Hollandis intercipitur, captiuitatis huius miseriæ & merita.

OBlata deinde nauigandi in Chinam commoditas est, vnde propior desiderato suo in Iaponiam ingressui accederet. Antequam verò vasto se committeret Oceano, prius varias in itinere inuisit Prouincias, vbiq; eam spargens sementem, ad quam à cælesti agricola fuerat destinatus, ardentis nempè fidei, & exemplaris pietatis. In Malabarica cùm versaretur, literas Anno 1635. Malacam nauigaturus dedit, quarum hic tenor est. *Scripsi nuper ex Prouincia Malabarica Reuerentiæ Vestræ, de rebus istius gentis Indicæ, & de successu, & de periculis meis; nunc etiam de vlteriori discessu meo, hæc paucis scribo. Hodie vesperi ascendo nauim, nauigaturus Malacam. Hæc est periculosissima nauigatio; sed quia suscepta purè ad gloriam Dei, conabor illo iuuante superare omnia. Verè mi Pater multa hîc aperta pericula, mortes; sed scimus quod hæc tribulatio, pondus gloriæ operatur;*

& dignus est Deus, vt omnia patienter patiamur propter illum, qui tanta pro nobis passus est. Socius meus Pater Sebastianus Veira, qui me Româ secum duxit, & qui cum Patre Generali nostro egit de missione mea, & cuius ego destinatus eram socius perpetuus, subÿt anno præterito gloriosissimum Martyrium in Iaponia; nam viuenti paulatim viscera extracta sunt, & idem alÿs tormentis affectus, egregiè triumphauit. Væ mihi! qui non fui socius in termino, vti in via; non fui portus, vti peregrinationis. Causa fuit excursus ille in Poloniam, propter quem tam citò aduolare non poteram. Conabor tamen Deo duce vias quærere, vt cui non licuit desideratam mortem tunc consequi, saltem postea liceat assequi. Iuuet quæso Reuerentia Vestra hunc miserum peccatorem, quærentem dilectum suum per tot Oceani spatia, vt eum saltem, vel inter ignes, vel inter ferrum, & sanguinem, inueniat.

Hæc erant desideria, quæ, illius vela animi, quibusuis efficaciùs vētis, impellerent; quæ, itinerum aspera, nauigationum periculosa omnia, redderent non tolerabilia solum, sed etiam amore eius, pro quo suscipiebantur, suauissima.

Malacam iam peruenerat; sed hæc Batauorum cincta nauibus & armis, proficiscendi

ſcendi vlterius commoditatem interceperat. Tranſlato quippe in Orientem, Occidentemq́; bello Batauì, infeſta latè prædatorijs claſſibus tenuêre maria; vt & Inſulas, quas poſſent, Hiſpanorum Luſitanorùmq́; acquiſitas labore, munitas præſidijs, inuaderent, ſuiq́; iuris facerent; & ſi quæ mercatoriæ triremes (præſertim quæ auri argentiq́; annuum Regi Hiſpaniæ deferrent prouentum) vicina ſulcarent maria, illas occuparent, & prædarentur. Nec multùm temporis interceſſerat, cùm poſt grauem in mari conflictum, vulneratis militum plurimis, omnia penè Malacæ Xenodochia, belli incommodis vulneribusq́; fracti impleuêre milites. Hanc ſibi propriam nactus Spartham Pater Albertus, quo tædium deſideratæ profectionis leuaret, omnium ſe obſequijs, magnâ animi demiſſione ſimul & alacritate deuouit. Itaq; quibus ſpes adhuc euadendi erat, ipſe præparare malagmata, adhibere, quæ conuenientiſſima arbitraretur medicamina, proſpicere cibos lectumq́;. Quos verò grauior infirmitas vltimis fatis admouerat, extremæ illi neceſſitati, præuijs Sanctorum SACRAMENTORVM ſubſidijs, in maximè periculoſum confli-

flictum mortis, apparabatur. Donec inter eos labores, multis ad sanitatem, curâ obsequioq; reuocatis, oblata commoditas anno sequenti est Macaum nauigandi. Aliquot nempe naues, breui designandum Gubernatorem deducebant: quarum quidem multò plures onerariæ, & mercibus magis, quàm apparatu militari instructæ, belloq; aptæ; vnica, quâ Gubernator iturus erat, ampliore præsidio & militum & bellicorum tormẽtorum instructa fuerat. Patrũ Societ: aliquot per varias naues distributi, quo vna quæq; suo gauderet in spiritualibus obsequijs Patre; suis Pater adhiberet operam Filijs. Itaq; è portu digressi, vix vbi laxatis velis alto se commisêre pelago, & Syncapuram Cambriamque præteruecti, Hayramensem sinum innauigârunt, in aliquot Hollandicæ classis incidêre Myoparones. Et primùm quidem montium esse apices, & culmina, ex carchesijs arbitrati speculatores: mox vbi altiùs progressi fuissent, nauium agnouêre malos. Et nec dum quidquam hostile veriti in eo pelago, in quo versari Hollandos, aut prædari, insolitum planè fuerat, demum è proximo, vnde iam Hollandica insignia dignoscere pote-

poterant, aliæ quidem magis cautæ triremes, permisêre vela ventis, & diuersis itineribus, variaq; fortunâ prædatrices elusêre naues. Sola quâ Pater Albertus vehebatur, quæq; mercibus grauior, & in celeriorem cursum impedita fuerat, apertum discrimen incurrit. Serò nempe interclusam sibi euadendi spem aduertêre nautæ, & cùm, aut conflictu & armis, aut deditione & traditione spontaneâ nauis, fortunas vitamque suam seruandam animaduerterent; ne iam sub ictum vibratorum è ferreis machinis globorum inuectam nauim, longius deliberando, & illam, & seipsos, morâ perderent, præsertim ad ictum glandis ferreæ, concidente præcipuo Lusitano mercatore, vulneratisq; compluribus; vacuam tormentis, puluere pyrio, & militum præsidio nauem, deiectis properè velis, in manus hostium tradidêre.

Quæ, captâ naui, exultatio hostium fuerit! quæ captiuorum fortuna! libet ab ipsiusmet Patris vsurpare commentario, qui & Romam, & in Poloniam, totam captiuitatis suæ seriem, copiosè satis descripsit; cuius ductum sic insequar.

Jngressi primùm aduersæ nauis aliquot præ-

præcipui milites, vbi nil iam hostile meditari captiuos vident, gubernaculum obtinuêre nauis, libertatem vitæ Europæis illic commorantibus polliciti. Secutus deinceps præeuntes & ipse Hollandus Gubernator est: & circumspectâ diligentiùs naui, rebusq;, quas continebat, excussis, liberam fore remeandi ad suos facultatem spopondit. Sed vbi primùm naui ille excesserat, libertatis illius hostilis, seuera experti sumus indicia. Incubuit protinùs reculis nostris inimica manus: & quod à me spectari non potuit, nisi dolenti & amaro animo, sacra Reliquiarum pignora, & quæ, in subsidium, & vsum Catholicorum, pietatis ac deuotionis aduexeram munuscula, profanè tractata, & irreuerenter disiecta, & vel pedibus detrita Hæreticorum, vel per contemptum, profundo demersa mari fuêre. Quæ, in res, & mercimonia, desæuierat ardens rapiendi auiditas, pari sæuitiâ, nec hominibus pepercit. Quotquot Lusitani mercatores, & eorum asseclæ erant, alijque ab obsequijs famuli, catenis & compedibus illigati, laceris remigum centonibus tecti, celoce ad Hollandicam deportati sumus onerariam. Nescio quâ sorte alijs ita graua-

uatis,

uatis, extra compedes & catenam libero licuit esse mihi; sed reliqua, quæ captiuos concernerent, omninò communia. Quâcunq; nauis parte sol occiduus quempiam nostrum offendisset, ibidem, sub pluuio, aut sudo Ioue, pernoctandum erat. Nulla, contra maris frigorisq; iniurias, protegendo corpori vestis, nisi quam satis laceram hostis reliquisset: cibus ad demensum satis exilis, magisq; trahendæ vitæ, quàm sustentandæ idoneus, qui vsq; eo impotentem sui excitauerat in me famem, vt graui vrgente inediâ, ab ipsius Gubernatoris mensa, appositum panem præceps rapuerim, excusatione datâ, meæ iam opis non esse, adacto vltimâ necessitate stomacho longiorem tolerantiam indicere. Itaq; commiseratione quadam emollitus Præfectus, me quidem mensæ suæ quotidiè assidere voluit, aliorum verò concaptiuorum meorum necessitati, paulò auctioribus victualibus consuluit. In cuius mensæ contubernio, affulsisse, die quadam, Patri Alberto, compendiaria occasio, perficiendi desideratum iter suum in Iaponem visa est. Nauem quippè Gubernator Iaponico freto in dies commissurus erat. Supplex itaq; Pater Alber

bertus precari Gubernatorem inſtitit: vltimo ſe cuipiam abdiceret nauis obſequio, etiam ſaburræ amouendæ, aut extremis naualium curis, modò, his impendijs liberum ſibi eſſet, nomine & profeſſione tantiſper celatâ, Iaponiam ingredi. Verùm crudus ad hæc & immotus Gubernator, renuit ſe facturum, quamuis auro onuſtam nauem, præmij loco, ſponderet. Extremum quippe inde verebatur diſcrimen, ob ſeuerum Japoniæ Imperatoris edictum. Quare meliori tempori præſens deſiderium remittendum fuit. Sed pergit ille in deſcribenda calamitate ſua. Ita menſem integrum, cum intempeſto mari, & cum captiuitatis noſtræ luctati ſumus incommodis; donec ſereniore cælo, & opportuniore ventorum afflatu impellente, littus Formoſæ Inſulæ tenuimus, & ad præſidium Batauicum Taquan dictum expoſiti ſumus.

Antequam tamen exſcenderemus captiui, prior ipſe Præfectus, ſtipante lectorum militum cohorte, locum ſubijt, magnâ ſuorum congratulatione acceptus, reboante tormentorum omnium feſtiuo ſonitu, tubarum tympanorumq; clangore. At nos planè tunc lixarum & nauticæ plebis, extra

Do-

Domini oculos omnia audentis, triumphus eramus & ludibrium. Excussa iterum, nemine excepto, vestimenta omnium; & si quid occultioris gazæ quispiam absconderat, ereptum. Imminuta tenuis licet, viuendi portio, & quidquid putredine corruptæ aquæ fuerat residuum, magnâ, quamuis fætidi potûs, parsimoniâ, nobis ministratum.

Euocati postmodum sumus, iussu Præsidis. Capitaneus nauis, ego, aliusq; Nobilis quidam Lusitanus, deducti ad satis latè patentem aulam, peristromatis, alioq; solenniori apparatu illustrem; cuius in medio, eminentiori loco, frequenti militum coronà Gubernator consederat. Ibi ne triumphum suum asperiore in nos dictâ sententiâ confunderet, optionem dedit: eligeremus alterutrum, aut occasionem operiri tam diu, donec esset commoda nauigandi Macaum, aut statim ad proximum Hispanorum deduci propugnaculum; vbi præter eam, quæ nos deduceret nauem, alia esset in subsidium securitatis armata. Nobis, quia omnis mora inter hostes præpostera erat, redeundi ad Hispanum propugnaculum potestatem popoſcimus. Promissa

hæc

hæc; sed mutatis consilijs (ne quid indulsisse subiectis humanitas euinceret) breui spatio negata, qui iam pelago destinabamur, demandati ad rem pecuariam sumus. Extabat nempè in latê diffusa planicie, conseruandis per noctem pecoribus, non angusta caula pecuaria, neglectu & diuturnis sordibus malè olida. Ad hanc deducti sumus, & cum pecoribus habitare iussi, ita adstrictis victualibus, vt præter corruptæ orizæ patellam vix frustulum daretur salitæ bubulæ, quam maris diuturna putredo succo iam suo vigoreq; dimouerat. Nulla alia, præter hanc exilem, esse poterat commoditas, quod interdum, libero cælo, & sereniore aêre, illâ camporum amœnâ viriditate, quæ nostram communem pecoribus cinxerat mansionem, frui liceret. Inquilini igitur, ergastuli adeò incommodi, iam facti; postquam maris vexatione contractam debilitatem, nouis quotidiè cumulauêre, inediæ, & pessimæ tractationis, augmentis, subsistere demum expugnata sanitas non potuit. Corrupto quippè stomachi calore, viriumque facultate, paulatim imminutâ, Epidemicus languor, & febrium maligna vis, gregatim plurimos inuasit. Et primum quidem

dem duorum Religioſorum properato fato, exordium tabes illa accepit, moxq; alios addens alijs, numeroſum decumbentium Xenodochium fecit. Satis luctuoſa fuerat decumbentium facies, videre homines, vti pecudes, humanis auxilijs deſtitutos, non cum morbis ſolùm, ſed & cum vltimâ egeſtate luctari; nullum protegendis corporibus ſtratum, veſtem nullam, cibumq; ipſum, qui miniſtraretur, ſubruendo magis, & debilitando, quàm erigendo ægro idoneum. Circumſpicere tum proinde Pater, eiuſmodi obſequiorum iam minimè rudis; & ſecum ipſe requirere, quâ ratione, quibusq; medijs, graſſantem illam luem reprimere, & indigentiæ poſſet proſpicere ſociorum. Ab hominum illorum miſericordia, & emendicatâ ſtipe, nullum, ob innatum, tum Fidei Catholicæ, tum Hiſpanæ gentis odium, ſperari potuerat ſubſidium. Remotæ verò ſociorum naues, & nocte dieq; excubantes ad eos ſeruandos militum cuſtodiæ, non ſinebant quidquam aut nuntiari, aut deferri. Illud cælitùs conſilium Patri Alberto in mentem venit, vt eius, quam olim modicè delibauerat, & poſtmodum in Indijs cognitione efficaciſ-

simarum herbarum plurimùm auxerat, Scientiæ Medicæ profiteretur experientiam, in illis præsertim regionib', in quibus, ex mutatione aêris, victualiumq; intemperie, frequentes morbi grassarentur, curatores verò periti morborum, rari admodum reperirentur. Et cessit optimè destinata intentio, Filius enim Gubernatoris vnicus, pestiferâ correptus febri, accedente quoq; dissenteriâ, planè iam extra spem sanitatis, medicorumq; consilia processerat; iam & aliqua propè imminentis mortis notabantur indicia. Curæ is tamen & industriæ Patris Alberti vbi fuisset permissus, paucos intra dies, adhibita illic nascentium herbarum, & præsertim eius, quæ gentis vocabulo Bê appellatur, pristinæ sanitati est restitutus. Auxit bonus hic successus opinionem scientiæ, tum apud Gubernatorem ipsum, tum apud inferiores alios, qui à maiorum arbitrio pendere assueti, ex eorum nutu iudicia opinionesque formant suas. Gubernator filio incolumi lætus, gratitudinis ergo, paruum aliquod munusculum medico obtulit; quo ille ad ægrorum sociorum subleuandas necessitates vsus, sanitatem multorum, quantum poterat à morbo morteq;

teq; vindicauit. Ita paulatim Medici externi apud Batauos creſcente famâ, adhiberi ægris frequentiùs, & familiariùs cæpit, longè maiore obſequio, & commodiore ſociorum. Quidquid ab illis aut donarij aut edulij habere potuerat, id totum in vſum ſanitatis Sociorum conuertebat. Huius inuidiâ, ſiue æmulatione famæ, ſtimulatus quidam è Caluini ſecta Miniſter Batauus, qui explanationi Diuini Verbi, parem illius intelligentiæ praxim Medici inter ſuos exercebat, quæſitis à longè medijs, Patris Alberti demereri gratiam, confidentiamque expetijt, quo illum, non aliqua melioris frugis ratio, ſed augendæ in re medica experientiæ, & lucri auiditas inducebat. Benè hominis ingenium aſſecutus Pater, è diſciplina Societatis, quæ gratis didiciſſet, gratis communicare aſſuetus, ſine multâ ambage, quæ communicanda fuerant, candidè aperuit. Deuinctus is prompto adeò officio, & ſinceritate, plura exquirendi deſiderio, magnam animi beneuolentiam teſtabatur Patri: imò ſtudiosè ab eo cum reliquis Hollandis poſtulauit, vellet ſaltem anno ſecum hîc commorari, vt valetudinis eorum primùm habitâ curâ, etiam habendæ poſtmo-

dum ſcientiam communicaret. Hanc ſibi manſionem minimè infructuoſam fore: præter enim commune ſtipendium, affore priuatorum liberales manus, quæ profuſiore auro argentoq; ſanitatem redimerent. Sed Pater Albertus potiorem præ oculis profectionem Iaponicam habens, nullo modo ſe id facturum reſpondit; & quamuis tota ſibi offerretur Hollandia, ne vnicum quidem menſem ſponte hîc exigeret. Quæ reſponſio aſperior, prædicantem ita commouit, vt acriùs inſiſteret. Recordaretur ſe eſſe captiuum, & qui perſuaſioni beneuolæ nollet cedere, alieno nutu cogi poſſet. Sed hæc facilius fuerat refellere Patri, ad ipſius Medicinæ, cuius gratiâ hæc dicebantur, confugiens præſidium. Quæ, inquit, à coacto medico ſanitatis fiducia? cui ad manum eſt, ſub remediorum ſuaui inuolucro, lethalia propinare venena, idq; impunitâ & ſecurâ licentiâ. Et abſit hoc quidem à virtute, & Religione mea, (cuius mihi candor illibatus, legis inſtar eſt) quæ tamen prudentia eſſet alienæ virtutis dubiæ fidei, certum vitæ propriæ diſcrimen permittere? Redijt ad mentem Miniſter, & à ſolicitando Patre poſtmodum receſſit.

Iamq;

Jamq; ſex menſium ſpatium interceſſerat, tranſactum inter grauia captiuitatis incommoda, & plurium morbis laborantium ægritudines: cùm, redeunte ab Iaponia naui, quæ argento, alijsq; mercibus grauis appulerat, oblata occaſio Gubernatori eſt, in aliquod Hiſpanorum præſidium captiuos relegandi. Quare nullâ aut præmonitione, aut optione datâ, nauem iubentur conſcendere. Facilis expeditio nauigationis fuerat illis, quibus ſarcinulæ nullæ, impedimenta amota omnia, ad ſuos autem perueniendi deſiderium, moras omnes præſcinderet. Nauem itaq; conſcendunt, & vaſto commiſſi pelago, ignorabant, Iauamne, quæ Hollandorum præſidio firma eſt, an Cochinchinam, Macaũue nauigaturi eſſent. Factum tamen conſtanti impulſu ventorum, vt poſt dies ſex (quos magnâ egeſtate, & continuato ieiunio, inter nauticorum ludibria, exegerunt) ſimul cum alia, caſu occurrente Luſitanorum Liburnica, portui Cochinchinæ accederent. Quam, niſi amicum in portum maturè ſe ſubduxiſſet, tanquam rapinæ ſuæ deſtinatam, deprædari Hollandi moliebantur: ſed irrito conatu. Inceſſit eos poſtmodum cupidi-

tas, nauem illam, quam manibus non poterant, ſaltem oculis delibandi : ergo Patre Alberto ſecum accepto, Hollandus Præfectus Luſitanam adijt nauem : omniaq; perluſtrauit. Cùmq; iam redeundum eſſet, Patremq;, vt abiret, hortaretur; renuit ille, dixitq; non facturum ſe, vt, poſtquam in libertatem venerit, iterum ſe ſeruituti, fructu nullo, aut Diuinæ gloriæ vberiore prouentu, permitteret. Ita ſoli Batauo redeundum fuit. Pater Albertus autem ſummâ omniū hilaritate, & beneuolentiâ accept' eſt. Patrum Societatis præſertim, qui duo illic degebant, Italus vnus, Luſitanus alter. Mirabantur hominem, aëris, & laborum malignitate, totum pallidum, veſte lacerâ, ſordibus ſituq; grauem. Magnâ itaq; tractatum humanitate, Cochinchinam deduxêre. Idem, poſt duos dies, cum alijs concaptiuis, quos liberos dimisêre Batavi, factum eſt.



CA-

CAPVT XIII.

Æger à captiuitate Formoſam Inſulam deſcribit, item P. MARCELLI MASTRILLI glorioſum apud Iapones Martyrium, & P. ANDREÆ RVDOMINA felicem apud Sinas obitum.

LIbertati reſtitutus poſt ſeptem menſium ſpatium (quorum vnus nauigatione, ſex alij Formoſæ Inſulæ commoratione extracti ſunt) vbi aliquot dies Cochinchinæ quieuiſſet, Macaum nauigauit. Aliorum enim curandis morbis cùm impenſiùs laboraſſet Pater, grauem quoque ſibi ipſi conſciuit ægritudinem; propter quam, deiectis planè viribus, Macaum redijt. Magnâ omnium lætitiâ, ſed præcipuè Patris Emmanuelis Diaz, illius Prouinciæ Viſitatoris acceptus; qui diù iam ante ſolicitus, quânam terrarum, aut maris parte, Pater Albertus teneretur, quaquaverſum ex Malacenſi portu dimiſſis Patribus, perueſtigari iuſſerat, vbi nam moraretur. Hi diligen-

tissimè iam, ad Bantam Doganam (promontorium est Anglicorum præsidio munitum) iam ad Giacatram, aliasq; oras, cùm inquisiuissent, nullibi quidquam de eo inaudierant; nemini in mentem veniente Formosâ Insulâ, tanquam inusitatæ in illis partibus nauigationis. Hic itáq; æger, & debilis, iuuandæ valetudini, curam, quam poterat, Macâi impendit. Cùmq; iam à morbo aliquantulum conualesceret, præter superiùs positam captiuitatis seriem, alia, quæ scitu digna iudicauerat, nostris regnis communicauit. Proferam ego hîc, quæ in manus meas venêre, ne ætatem posteram, pijssimi labore Patris, tanquam vnico, & diuite defraudem peculio. Romam itaq; in hæc verba scribit.

Ego de me quid amplius dicam? nisi quòd hactenus Crucem Domini sector. Siquidem, ex quo discessi Româ, nil amplius accidit mihi, præter infirmitatem, tribulationes, miserias, pericula in mari, & in terra. Vltimò, incidi in manus Hollandorum, qui ceperunt nauigium, in quo eram, & Pater Marcellus effugit in alio nauigio Manilam, vnde discessit in Iaponiam, & iam factus gloriosissimus Martyr. Videat

Re-

Reuerentia Veſtra admirabilem DEI ordinationem, & obſtupeſcat. Ego, qui tot annis quæro, adhuc mihi reſtat quærendum, & illi ſtatim ſponte ſuâ, tam felix eſt oblata occaſio. Væ mihi! quia peccata mea impedimento ſunt huic tam grandi deſiderio meo. Ego poſt aliquot dies, diſceſſurus ſum in Regnum Cocincinæ, ad prædicandum ibi Euangelium. Meſſis ibi multa, & inuitatus ſum à Magnatibus illius Regni, vt veniam. *Spero aliquem futurum Dei gloriæ progreſſum.* Hæc ille Romam: Quæ verò in Poloniam directæ fuerunt literæ, ſunt eiuſmodi.

Reuerende in Chriſto Pater.

PAX CHRISTI.

NON ceſſo ſcribere hac vice Reuerentiæ Veſtræ: quia fortè amplius non mihi dabitur tempus; vt hæ literæ ſint ſignum antiquæ meæ obſeruantiæ erga Veſtram Reuerentiam. Scripſerunt mihi aliqui ex Prouincia Lithuaniæ, quorum in India accepi literas: Deus illis retribuat charitatem. Mitto Reuerentiæ Veſtræ imprimis in his incluſum, captiuitatis meæ ordinem apud Hollandos, in Inſula dicta Formoſa. In his enim gloriabor, id eſt, cruce mea, & infirmitatibus meis.

meis. Ista sunt enim omnia mihi, ex quo exiui Româ, panis quotidianus; ita vt mirum sit, adhuc me esse superstitem. Sed necdum satiatus sum: superest adhuc mors pro nostro amantissimo Domino. Hoc nunc tento, nimirum ingressum in Iaponiam, & inuenio mille difficultates à nostris Superioribus, qui timent vitæ meæ, cùm ego nil minus timeam: imò pro lucro æstimem, mori pro eo, qui prior pro me mortuus est O vtinam vincam has difficultates domesticas! vt possim aliquando certare prælium Domini, occumbens illi victima grata. An fortè huius pauperculi desiderium exaudiet Dominus. Soluerunt è portu Malacensi quatuor nauigia: hostis insecutus omnes, socio meo P. Marcello Mastrilli fuit causa, vt iret in Manilam, & inde in Iaponiam, & fieret gloriosissimus Martyr; & me duxit captiuum. Videat Reuerentia Vestra effectus mirabiles, nostræ Sanctissimæ voluntatis Diuinæ. Et nunc sum Macai, tentans vehementissimè ingressum in Iaponiam; & quamuis certa mors, cum tormentis excessiuis me maneat; ardeo, suspiro; non ire, sed volare cupiens. O vtinam! ò vtinam! istæ sint vltimæ literæ ad vos. Sed væ mihi! quia peccata mea, mihi obstant. Iste est murus, hic vallus, qui me tam fortiter impedit, ne assequar meum finem desideratissimum. Mitto Reuerentiæ

Vestræ

Vestræ literam, seu descriptionem mortis, & vitæ Patris Rudominæ, scriptam à socio ipsius, in Missione Sinensi à Patre Benedicto de Matos, qui omnia verè scripsit: siquidem vir sanctus est, & quem imago Saluatoris dignata est alloquio. Mitto & descriptionem Martyrij socij mei, in itinere Malacensi, quod subijt (heu me! sine me) in Iaponia in ciuitate Nangasaqui. Benè consulat Reuerentia Vestra. Habui reliquiam Sancti FRANCISCI *Xauerij: sed hanc, cum septuaginta capillis, puto proiecerunt in mare Hæretici. Has reliquias destinaueram mittere pro Collegio Cracouiensi, sed non placuit Deo; boni consulat animum. Sanctissimis Sacrificijs Reuerentiæ Vestræ, multùm me commendo. Macai 2. Ianuarij, 1638.*

His inclusa literis, & ab vltimo Oriente in nostram vsq; Poloniam transmissa est, tum Insulæ Formosæ descriptio, tum aliorum Christi Athletarum, qui aut socij viarum Patris, aut conterranei eiusdem nationis extiterant, vitæ præclarè actæ enarratio. Quæ interim subiecta oculis placet hic relegere, dum ad ipsiusmet Alberti, egregium Christianæ fortitudinis agonem, pedetentim accedamus. Quorum aliqua, quamuis non ignorem erudito calamo, & elegantiore venâ in lucem Orbis emanasse;

mihi

mihi tamen religio fuit, quæ ad manum venêre, hîc præterire illibata.

CAPVT XIV.

Insulæ Formosæ Descriptio.

NOmen non inane rei, Formosa Insula obtinuit: siquidem vbertate soli, amænitate locorum, incolarum, præ reliquis Indiæ populis, elegantiore constitutione cognominem refert pulchritudinem. Jnter Sinensis Regni, & Iaponum terras intermedia, ad viginti quinq; graduum latitudinem protenditur, sortita eleuationis poli gradum secundum supra vicesimum. Qua mari attingitur, accessum, propter hinc inde circumstantia vada, penè habet imperuium. Incolæ, palis fundo defixis, consignarunt profundiores mæandros; sine quorum subsidio, & obseruatione, ne ipsi quidem, portum rectà tenere possent. Locus littoris arenosus, & siccus, cui Hollandorum munitio & arx incumbit. Quâ verò parte Orientem spectat, tuetur continentem, præsidium, & propugnaculum Hispa-

ſpanicum, 15 à priore leucis diſſitum. Tellus, ad miraculum, viriditate amænâ germinat, protuberante, ad palmos nouem, aut decem, pratorum gramine; quod locupletem ſaginam, tum gregibus Hollandorum paſcualibus, tum alijs, quas ſyluæ numeroſas alunt, feris, ſubminiſtret. Interiora terræ ſyluis teguntur, rarâ virentium arborum, arbuſtorumq;, & nemorũ viriditate: conualles, dulcis aquæ puriſſimis irrigantur riuis, & in exoticas, illicq; naſci ſolitas herbas excreſcunt. Ceruorum, ſyluis adeò numeroſa egreditur multitudo, gregatimque inuadit campos, vt non ſylueſtris feræ genus, ſed armenta potiùs domeſtica à longè venientibus videantur. Species animalium, quas incolæ fouent, noſtratibus communes, ſed formæ & ſtaturæ maioris. Alces quoq;, quod genus alibi rarum, hîc abundat: cuius non modo carnes palato gratæ, & acceptæ ſunt, verùm & excuſſa ſiniſtri pedis, dum enecatur vngula, epilepticis perſanandis proficit. Auium volucrumque magna copia. Perdices in noſtri caponis magnitudinem, pinguedine ſuâ excreſcunt. Tellus culturæ cuiuſuis capax, & idonea. Quamcunq; ei ſementem credide-

dideris, multiplici prouentu redhibet. Spontè verò,in eminentioribus,& soli meridiano magis admotis locis, Cinamomum, Canphoram, Sinicum lignum, salsamq; parillam progenerat. Piper in syluis moderatè legitur. Quin & auri, argentiq; intus latentis, spes magna inoluit Hollandis, nec dum tamen intimiùs viscera eius sunt perscrutati.

Gentis indoles, præ reliquis Indiæ populis, ad humanitatis leges videtur inclinata, honestâ vt plurimùm vultûs formâ, corporis constitutione firmâ,& validâ, staturâ supra mediocritatem procerâ, agilitate verò adeò veloci,quæ cursu ceruos consectari, & assequi valeat. Cæterùm institutionis, & cultioris vitæ, admodum rudis: simulacrorum, & idolorum addicta cultui. Lapides fluuiales teretes, magisq; à natura politos, diuinis honoribus dignantur: illisq; eminentiore,&amæniore collocatis in campo, nuces Indicas, aliaq; præcipui gustus libamina, quæ ipsimet in delicijs habent, ad contestandum affectum, & subiectionem, immolant.

Rotundas, vt plurimùm, virenti iunco, & arundine contexunt ædes, quæ à longè spe-

ſpeciem reddant, cuiuſdam, per frequentia ambulacra, adornati viridarij. Tentari eorum ad Chriſtiana ſacra facilitas, per Caluiniſticos Miniſtros cæpit: nec reluctantes reperit, qui dicto audientes, magnâ frequentiâ adeſſe amant eorum malæ Fidei ſacris; extructâ, eius rei gratiâ, ampliſſimâ, ex arundine, aulâ, multorum millium hominum capace. Cæterùm nulla illis pudoris, aut verecūdiæ ratio, veſtitus nullus. Reges, à reliquis, capitis quodam ornamento, diſtinguuntur; quod è caluarijs interfectorum hoſtium minutim lectis, intercurrente fili ſerici lymbo, diadema conficit: è collo verò pendent gemina teſtudinum conchilia, eminentibus supernè aptata oſſiculis; quæ excitato modicè tinnitu, procedenti Regi, apud reliquos reuerentiam imperent. Regis exemplo, prima reliquis capitis cura eſt; cui tegendo, ſtraminea ſerta, pilis bubalorum illigant; &, vel aurea, cytreaq; mala, vel verſicolores implicant auium alas. Cæterùm penitùs nudi, aut certè lato cingulo, quem herbis floribusq; varijs texuerunt, ſatis, vsq; & ad luxum, veſtiti. Bella cum vicinis populis magnâ ſatis exercent ferociâ, extra tympa-
ni

ni,aut fiſtulæ ferreæ ſonum; (quæ duo, tanquam excuſſum è nubibus fulmen,auerſantur, & fugiunt) totam in arcu, & telis, ſerræ in modum præſectis, & in acutum mucronem deſinentibus, belligerandi peritiam collocant.

Contigua verò, ex aduerſo Formoſæ, Inſula; adeò ab omni humanitate difformes alit homines, vt, quoſcunq; aduenas nacti fuerint, ſummà crudelitate, inter geniales plauſus interimant, & barbarâ auiditate depaſcantur. Statura illis Gyganteæ prolixitatis, & ad quindecim palmorum altitudinem protenſa, color triticeus, & quoad candorem, inter alios Indiæ populos princeps; tota vitæ ratio, ad ferinos mores, ex ingenio crudelitatis compoſita.

Reliqua, quæ de Regione hac annotari curioſiùs potuerant, Pater Albertus deſcribendo præterijt, non aliam & huius ſcripti rationem referens, quàm vt noſtro conſtaret Orbi, non deeſſe vberrimam Euangelij meſſem, ſi accedant cæleſtis agricolæ fideles operarij, qui extirpatâ perfidiâ, plenos Neophytorum manipulos Eccleſiæ ſanctæ aggregent Horreo. A Formoſa Inſula, ad alterum propoſitæ narrationis redeamus caput.

CA-

CAPVT XV.

P. ANDREÆ RVDOMINA, Vita & Obitus apud Sinas.

PAter Andreas Rudomina, natione Lithuanus, è Nobili, præcipuisq; honoribus in Magno Ducatu Lithuaniæ celebri natus Familiâ, poſtquam pueritiam, & primos adoleſcentis ætatis annos, humanioribus literis excoluiſſet Domi, Romam profectus, grauioribusq;, & diuinis eruditus ſcientijs, & in Societatem IESV admiſſus, Miſſionem Indicam apud Adm: Reuerendum Patrem Generalem enixè expetijt. Vtq; id poſtularet confidentiùs, cælitùs (prout ſocio itineris poſtmodum confidenter aperuit) inditam eam ſibi mentem, ſpeciali quâdam apparitione accepit. Viſus eſt quippe inter ſomni quietem videre vniuerſarum terrarum orbem, ſpheræ in modum quatuor partibus diſtinctum, quem, ſuppoſitis humeris, Patres Societatis IESV vndiq; fulcirent: inde tamen qua Orientem ſpectabat, grauiori pondere adeò ſuccolatorum ſuorum deprimebat humeros, vt

multi eorum laſſo corpore, languentibusq́; viribus, multo ſudore madidi deficerent, omni ſubſidio & ſolatio deſtituti, cùm alibi occupatis, ſua non deeſſent lenimenta laborum, & vicaria quandoq́; cum operantibus quies.

Ecce verò modico elapſo tempore, adſunt prompti è cælo, iuuenum alatorum in morem, Diuini Spiritus, qui candidis ſudarijs, vbertim ab ore, geniſq́; manantem ſudorem exciperent; vultuq́; deterſo, madentia illa lipſana, tanquam ſudantis ab amore balſami, odoratas guttas, cæleſti in Ara, ipſius ante conſpectum Numinis, in odorem ſuauitatis arſura deponerent. Et quidem gratiſſima hæc fuerat Æterno Patri oblatio, quæ animam vitamq́; ipſam ſaluti animarum impenſam ſpiraret. Quare nec potuit dimitti abſq́; munere. Singula ſudariola, ſingulis rependere coronis iuſſi ſunt Angeli, quæ ingenti fulgore auri, gemmarumq́; radiarent. Tum primùm tanto excitati cælitum munere Patres, addente vires præmij amplitudine, accinxêre ſeſe operi, & illi eleuando Orienti, non ignauos ſubmisêre humeros; curarum, aut ſolicitudinis reſpectu nullo. Hæc vbi P. Andreas,

dreas, adhuc extra ſuſtentantium numerum conſtitutus, conſiderat, inuitatus ab Angelo (quem ille cuſtodem ſuum credebat) eſt, cui vellet terrarum Orbis parti ſuſtentandæ, ſeſe addiceret. Circumſpicere is primùm, ſecumq́; deducere, quibus impendijs, quæ præmia, ſolatiaq́; reſponderent: mox illi circa Orientem occupatæ, ſeſe recens, facilisq́; adiungit operarius, probante electionem Tutelari ſuo; nouumq́; Athletam, Agonothetæ Chriſto præſentante: acceptaret vt ipſe prompti voluntatem deſiderij, & primos conatus, vberiori gratiâ, cæleſtibusq́; auxilijs firmaret. Annuit ſupplicanti Dominus, pronum ſe affore, voce intelligibili pollicitus; eſſet bono animo, in eaq́; terrarum parte vltimum ſe obiturum vitæ diem confideret: quod concepiſſet animi propoſitum, ad Superiorum deferret notitiam; acturum ſe eorum in animis, omnia vt ex voto procederent. Somnus hic, aut quædam, ſub ſomni effigie, cæleſtis apparitio fuerit, non mihi promptum eſt dicere. Euentus poſtmodum docuit, vanam eam ſignificationem non fuiſſe. Siquidem die poſterâ, vbi humiliter deſiderium ſuum Adm̃: R̃ndo Patri Genera-

li exposuisset, spem minimè dubiam accepit, Theologiæ quadriennio ad metas deducto, iter Indicum aggredi: quod & factum est. Antequam tamen itineri sese accingeret, sacris initiatus, Romæ primùm Sacrosanctâ Altaris Hostiâ Diuinæ Maiestati litauit, præmissâ ante corporis, per acerbam pœnitentiam, diuexatione, animique, per solita Exercitiorum Spiritualium fomenta, excitatione. Hisce præmunitus amuletis, postquam, cœlitum fauoribus, illustres per Italiam adijsset Lares, inibique subsidia Diuorum occupasset, prolixæ in Jndias nauigationi sese cōmisit. Vbi peruigili, circa difficillima quæq; studio, magnâ in obsequijs egentium promptitudine, Diuinarum rerum tractatione eximiâ, hoc apud nauium Præsides, hoc apud nauticam obtinuit plebem; vt ex moribus eius, & Religiosâ, decentiq; modestiâ formato iudicio, non alio, quam sancti eum nomine hominis compellarent. Goam vbi peruenisset incolumis, primam Nosodochia curandi, sibi poposcit curam; in ægrorum subleuandis miserijs assiduus, vt non triremes, non carceres, non vlla fex hominum, extra illius esset projecta charitatem; sed totos
penè

penè cum eis dies, vel Sanctorum admini-ſtrationi SACRAMENTORVM, vel inſtillandis Fidei rudimentis inſumeret, tantâ propriæ valetudinis negligentiâ, vt macie contra-cto vultu, & in pallorem deiecto, nihil ta-men de contentione immiuueret laboris. Superioribus quoq; ne quid hac in parte nimium excederet, admonentibus, identi-dem reſponderet; non è vultus macie, pal-loreq; virium vigorem colligerent, quem ſibi promptum ad laborem fore, cum gra-tiâ DEI confideret.

Jnterea tamen, cum feruore ſpiritus me-titur imbecilli corporis exile robur, & ſe difficillimis quibusq; permittit obſequijs; ſenſim ingraueſcente debilitate, quartanâ febri corripitur. Quæ licet certa faceret interſtitia quietis; iam tamen difficiles red-debat labori vires, pertinaciâ diuturnioris mali fractas. Itaq; maiorum iuſſu, reſtitu-endus fuerat ſibi, vt valetudini recuperan-dæ incumberet, ad quam iuuandam, præ-cipua viſa eſt aêris mutatio, quæ, terrarum altero ſitu, magis ſalubri aurâ, membra lan-guentia animaret. Commodum per id tempus acciderat, Patrem Rectorem eiuſ-dem loci, Macaum diſceſſionem adornare:

comes proinde ei Pater Andreas additus est, eò libentiùs abiturus, quò intimius, Orienti ipsi, & parti præcipuæ, sibi cælitùs destinatæ, operam esset nauaturus. Febribus nequidquam itinere diminutis, primùm Macaum, mox ad vlteriores Sinensis Regni Prouincias digreditur, iactatione maris, & longinqui, ac inexperti humore aëris in tantum præualente; vt febris quidem quatriduana, mensium aliquot spatio commorata, recesserit; sed comites reliquerit seipsâ peiores; languorem nimirum, & imminentis tabis malè iacta initia. Sed ille posthabitâ imbecillitate virium, vt se quoq; illarum Prouinciarum curandæ saluti idoneum redderet instrumentum, linguæ Sinicæ addiscendæ incubuit, (qui labor sanè arduus, multiq; operis, ob vocabulorum & nominum multitudinem inconditam, & dialectorum varietatem multiplicem) illius perceptâ notitiâ, sed nequaquam valetudine restauratâ, calidioris aëris regionem ad mansionem designatam accepit. Prouinciæ scilicet Sinensis, Regni Fonkien dictæ, Metropolim Fechêufu appellatam. Huc vbi primùm appulit, & Domum Soc: IESV inuisit; benignè à Superiore domùs illi-

illius acceptus; magnâ animi ſubmiſſione, ad omne obſequij genus, promptiſſimam voluntatem teſtatus eſt. Vnicam ſibi eſſe incommodo imbecillitatem virium, quæ, & domeſticis futura eſſet oneri, & ſibi, quo minus, iuxta animi votum, partes boni ageret operarij.

Hæc officioſæ humanitatis erant prælu-dia. Verùm non deſtitit Pater, quamuis ægris viribus, agere rem Dei, & ſuam. Excipiendis pœnitentium peccatis aurem præbere ſingulos ferè dies; Sinico idiomate ad populum frequentem, diebus ſacris, verba facere; idq; magnâ Spiritus incitati facundiâ, non mediocri audientium fructu; qui dicentis moderationem, cæterasq; animi, & indolis egregiæ contemplati dotes, virum eſſe debere illuſtri genere, & nobili maiorum ſanguine ortum, diuinabant: & vt talem, ſpeciali reuerentiâ, & opinione ſingulari virtutis, ſunt proſecuti. Sed ille, deteriùs collabente valetudine, ruptis vitalibus, exulceratisque pulmonibus, tuſſi lentâ confici videbatur; quæ interdum libras aliquot ſanguinis, ab intimo pectore emouebat. Adhibita à Superioribus cura eſt, quæ eo loci poterat, recenti enim illic

habitatione Patrum Societ: nondum ſatis cõmoditati infirmorum proſpectum erat. Sed & Pater Rector Macaênſis de ipſius infirmitate certior redditus, literis ad Superiorem Reſidentiæ datis, commiſerat, vt, ſi placeret, & vellet, liberum haberet P. Rudomina, iterum Macaum remeare: vt, ſi quidpiam remedij adhiberi malo poſſet, maturè proſpiceretur. Sed vbi hæc P. Rectoris ſententia, P. Rudomina lecta eſt, parere magis imperio, quàm eligere facienda pro arbitrio aſſuetus, manſurum ſe potiùs in loco, expectaturumq; mortem, tanquam in deſignato à moderatoribus ſuis campo, reſpondit: vnicam prætexens rationem ſeruatæ firmiter conſuetudinis; nullum ſe hactenus, ex quo in Indijs eſſet, aut officium, aut habitationis elegiſſe locum, quem non ſimplex, & clara Superiorum voluntas expreſſiſſet. Itaq; ingraueſcere morbus, & mortifera tabes, omnem melioris ſucci vigorem depaſci auſa, hominem ſui poſſeſſione deiectum, intercluſo liberiori ſpiritu, contractisq; neruorum officijs, lecto affixit. Natali D. Ioannis Baptiſtæ die, protracto vltra horam Miſſæ Sacrificio, quod & continua tuſſis, & deuotionis, amplior circa

ca extrema, affluentia, ad conſuetum tempus reduci non permittebat, vltimùm aris adſtitit. Magis poſtmodum debilis, vitam vsq; ad nonam Septembris traxit potiùs reluctantem, quàm deduxit; ſingulos planè dies, ſingulari redimendo tolerantiâ, nihil aut de rerum penuria, aut incommoditate loci queſtus; quam tamen peregrino in ſolo, inter ignotos, & nulla neceſſitudine, aut humanioris culturæ beneuolentiâ ſubactos populos, ſacris, moribusq; longè diuerſos, euenire frequenter oportuit. Donec in compendium maioris pœnitentiæ, medio gutture apoſthema excreuit; quod cùm fauces, gulamque premeret, nullam transmittendo cibo copiam faciebat. Et cibi quidem minor cura P. Andreæ fuit: inde erat ſolicitudo maxima, quòd modus non eſſet, anguſtè contractis faucibus, Sanctiſſimum Angelorum panem, in os, viſceraq; tranſmittendi: candidèque Patri de Mattos faſſus eſt, vnicam hanc curam, mentem ſibi excoquere, nullamq; aliam conſolationi rationem ſuppetere, præter hanc; quòd negatum in hac vita vſum cæleſtis alimoniæ, abundè ſibi compenſandum, illius ſ[illegible]licitatis beatiſſimo congiario,

consideret. Quartâ demum Septembris, inclinante ad vesperam die, Pater quoque propiùs adesse fato suo cæpit. Et Sina quidem Medicus, dissimulato mortis imminentis periculo, nihil determinando, recessit. Cæterùm letalis pulsus, & deficientes vires, è proximo imminere mortem testabantur. Itaq; suprà memoratus Superior, accedit Patrem, eoq; infirmitatis constitutum denuntiat, vnde certiùs immortalitatis sibi ineundam viam promitteret. Ageret itaq;, &, quidquid impedimẽtorum esset, amoueret; certaq; subsidia futuro itineri disponeret. Ille verò ad dictum erectior, & supra ægritudinis sensum ridens, lætusq; interrogat, videreturne possibile, adeò proximè instare sibi tempus vltimum? Affirmãte Patre, crastinam non adfuturam hucusq; lucem, cùm ille iam æternitatis constitutus in ianua, perueniret ad laborum coronam: tum verò lætior P. Andreas, exultare, & dicere: Proxima hora est! ô beatum me! qui certum accipio nuntium, perueniendi ad hoc bonum, quod medullitus expecto, & concupisco. Agat gratias DEO meo, quibus agendis ego per valetudinem non sufficio. Vitæ deinde totius ratio-

tiones, & diſcutiendæ conſcientiæ tempus ponere exaggeratiùs cæpit, ſacrâq; exomologeſi præmiſsâ, veniam peccatorum, magno cum dolore, & pietatis ſenſu obtinuit; totamq; noctem alterius præmeditationi vitæ, & inuocationi cæleſtis opis ſepoſuit. Jllucescente ſole, aduocato Neophytorum Sinenſium tenero grege, vltimo agoni, ex ritu Chriſtiano, benedicto oleo inunctus eſt, mente adeò futuro certamini intrepidâ, & conſtante, vultu ad deuotionem & pietatem compoſito; vt & myſterij diſtinctè perciperet ſenſum, & verba præeuntis Sacerdotis, reſpondendo ad ſingula, compleret. Chriſtianis, quâ poterat conſolatione impertitâ, dimiſſis; precibus obnixis cum Patre Superiore egit, vt ſibi tanquam pauperi, minimi pretij tumbam (quam confici, ex ſono, & ſtrepitu intellexerat) adhiberi curaret: deinde ſibi, vt præſens, adeò neceſſario tempore, aſſiſteret. Vtrumq; ex præſcripto Societatis Conſtitutionum fore, promiſſum. Omnium itaq; ſecurus, totâ mente cælitum prægustandæ felicitati incubuit. Cùm poſt mediam noctem, currente horâ ſecundâ, lecto aſſurgens P. Andreas, Patrem de Mattos præſentem, in

hæc

hæc verba allocutus est: Accipe, quæso te, Pater, quâ potes veneratione, Sanctum nostrum Patrem IGNATIVM, qui ecce me præsentiâ suâ dignatur; Dux, sociusq; itineris mei futurus huc aduenit. Interrogante Patre, quibus officijs eam venerationem testari deberet? nihil ad interrogationem P. Rudomina respondit; sed oculis certo obiecto defixis: Ah, inquit, mi Pater! quàm decori maiestas vultûs! quis splendor circumfusus Sancto! Beati huius comitatûs quàm illustris facies! En quàm benigno aspectu me contuitus, ad se inuitat! iubetque hâc mortalitate excedere! Aspectu postmodum viuido, sequi quempiam præeuntem videbatur, donec & intenta oculorum acies paulatim languesceret, & ipse naturalis calor, placidam declinaret in mortem.

Nondum plenè illuxerat dies, cùm audito Patris, è viuis excessu, frequentissimi conuenêre Christiani; qui magna deuotione, & pietate, Patris circumfusi corpori, eum Sacerdotis cultu Sinici, deposuêre loculo ligneo, & spectandum amicis liberiori tempore proposuêre. Mansit ita, oculis condolentium amicorum expositus, vsq;

ad

ad diem octauam Septembris. Quo tempore auditus est à nonnullis Christianis gratus quidam, & suauis in Ecclesia concentus, odorq; suauissimus, corpori circumfusus. Et Pater Iulius Alenus in Foũtum degens, eodem, quo Pater Andreas è viuis excessit tempore, adeò insignem lucem, tota suâ Ecclesiâ radiantem, fulgentemq; admiratus est, vt meridianâ claritate splendidior (quamuis secundâ post noctis medium horâ) videretur. Splendor is erat gloriæ, quam eo tempore consecutum Patrem Andream, piè Pater ille est arbitratus. Funebri pompâ elatum extra vrbem cadauer est, ad destinatum funeri hominum Societatis IESV locum: (mos siquidem obtinuit Regni illi⁹, nullus vt mortuorum, etiam præcipuæ auctoritatis, intra vrbem sepulchrum collocare posſit; sed in amæniore, intra pomæria, loco, eminentem quempiam collem, eumq; arboribus consitum eligat, quem funeri designet) Hunc nuper Societatis IESV Superior, pretio, in eum vsum, comparauerat, collemq; altiore loco editum, & crucis positâ effigie, tanquam Christianorum insigni ornatum posuerat. Christianorum ibidem operâ, &

elce-

eleemoſynis, tum Patris Andreæ deponendo corpori, ædificatus infra fornix eſt; tum aliquot circumcirca erecta domicilia, quæ, recolligendæ per Exercitia Spiritualia conſcientiæ Christianorum, ſeruirent. Parentatum funeri eſt, corpusq; illatum tumulo, cui' ſupremo lapidi, hæc, Sinicis, & Luſitanicis expreſſa literis, inſcriptio, inciſa fuit:

Pater Andreas Rudomina, oriundus in Lithuania, Sacerdos, qui venit in Regnum Sinarum, ad prædicandum Euangelium; in eodem, poſtquam laboraſſet quinque annis, obijt 5. Septembris. Anno Domini, 1631.

Gratiſſimam illis in Regnis Patris Rudomina memoriam, ſunt teſtata Chriſtianorum frequenter ſepulchrum Patris inuiſentium ſupplicia vota, & preces: quibus, non tam animæ ipſius (quam cœlo admiſſam confidebant) ſuffragari, quàm potiùs neceſſariam ſuæ indigentiæ implorare opem, fatebantur. Hæc in Sinenſi Regno acta, & à P. Benedicto de Mattos è Societate, literis mandata, manu propriâ Pater Albertus deſcripſit: vt tam ſanctæ vitæ felici exitu, inflammaret conterraneorum Polonorum ani-

animos: quatenus, ad felicis mortis, legitimè certantibus promissam coronam, etiam à Septemtrione frigido, in vltimi Orientis plagas, non pigeat deferre sacrum amoris DEI, & proximi ignem: quem non regionum terrarumq́; situs, sed ille accendit, qui ignem venit mittere in terram; nihilq́; magis in votis habet, quàm vt accendatur.

CAPVT XVI.

P. Marcelli Mastrilli Martyrium in Iaponia susceptum.

PRæclaro exemplo sanctè transactæ, & obitæ vitæ, aliam quoq́; descriptionem addidit Pater Męćinski, profusi per extrema supplicia sanguinis, in causa Christianæ Fidei apud Iapones à Patre Marcello Mastrillio è Societate IESV. Cuius itineris, comes equidem P. Albertus designatus fuerat; sed illa ventorum tempestas, & Hollandicarum nauium insult⁹, atq́; occupata, & capta, quâ P. Albertus vehebatur, nauis, hoc amicorum vnitum par, violenter distraxerat.

Pa-

Pater itaq; Marcellus Maſtrillius, poſtquam in Indias, magnâ totius Europæ expectatione perueniſſet, illicq; dignam, quæ prodigio ſingulari cælitùs reſtitueretur, vitam, magnis probaſſet in periculoſa nauigatione exantlatis laboribus, impetratisq; diuinitùs beneficijs; ad eam, quam ſibi Sanctus FRANCISCVS Xauerius, manifeſtè ex vulnere mortifero decumbenti conſpicuus, enixè commendauerat, Iaponiam, omnibus ſtudijs contendit. Verſaq; in magnam illius opportunitatem, illa ab Hollandis intentata concertatio eſt. Siquidem, quâ Gubernator cum Patre Marcello vehebatur, Prætoria, ventorum abrepta vi, Manilam vsq; delata eſt. Quæ Inſula Iaponum proxima terris, ſola poterat, aliquem, in Iaponiam penetrandi, offerre modum. Sed non ſimul atq; naui excendit, ire in Iaponiam, quamuis omninò id deſideraret, P. Marcellus potuit. Famâ quippè virtutis, ſanctitatisq; illius, Gubernatorem Manilæ pellexit, vt eum comitem bello, quod Saracenorum aliquot Inſulis deferebat, adſciſceret; habiturus ipſius orationum feruentia ſuſpiria, in vicem magnâ ignium vi excuſſorum globorum, quibus Mahometis per-

perfidiam fulminaret. Nec ſpe deluſus ſuâ eſt: Tantum enim momenti aggreſſioni illi Patris præſentia contulit; vt exiguâ manu, munitiſſima aliquot propugnacula, armis, militeq;, & victualibus inſtructa, ſuorum iacturâ minimâ, feliciter receperit; vbi anteſignani inſtar, vexillum Sancti FRANCISCI Xauerij, miraculosâ imagine inſigne, ordinibus prætuliſſet, & ter, intra ipſum conflictum, apparente ſibi eodem ſancto, nouis in hoſtem additis animis, pugnæ reſtituiſſet. Feliciter belli tractato negotio, redijt Manilam, alteri ſe accinctus prælio, quod, non armatâ manu aggrediendo, ſed, inuictâ patientiâ, hoſtilia omnia perferendo, peracturus erat. Itaq;, quàm poterat occultiſſimè, ritu gentis fabricatam nauiculam, ſociosq; inſtruit, qui Iaponicum in littus, Japonico lembo ſeſe deportarent: quod & factum eſt. Fauêre venti, & ardentis illius deſiderij, æmulati vota, ad Saxumæ portum, illam Chriſtianis periclitantibus, ab Occidente exposuêre ſubſidiariam opem. Poſt excenſionem factam, dimiſſis, qui vſui futuri non eſſent, ſocijs, vix duobus relictis comitibus, profundis ſe ſyluis, & ſaltibus abdidit; vt inter illam nemorum ſolitudi-

nem, operiretur occasionem, se, quopiam modo, adiuuandis in Fidei constantia Iaponibus, clàm inferendi. Verùm non diu tuto esse inter hasce latebras licuit. Dum enim repellendo frigori, paruum instruit focum, indicio altius emicantis fumi proditus hostibus est; qui iam ante, nauigium, quo Pater Marcellus venerat, assecuti, socios interceperant omnes; & vni illi inuestigando loca latè omnia scrutabantur. Jnuenêre hominem orationi intentum, & suo illo foculo, quem excitauerat, longè ardentiori intus flammâ, quæ vultu toto, oculisq; promicaret, accensum; cuius reuerentiâ, & timore, nemo illum accedere, omnes mirari, nec prius manus ei inijcere ausi sunt, quàm spontè (oratione finitâ) ad eos progressus, capiendi sui facultatem fecisset. Tum primùm frequenti militum stipante cohorte, quæ mille ducentos & sexaginta numeraret apparitores, Nangasachum, celeberrimam Iaponiæ vrbem, deductus est, & ante Præsidem constitutus. Huius interrogationibus, cùm non ex mente responderet, & comitum saluti (quos captos ignorabat) intentus, in eo esset, vt inuolutis responsis, eorum incolumita-

mitati proſpiceret, dictorum exquirendæ veritati, tormenta adhiberi iuſſa ſunt, cruciatu, ſi vnquam auditus eſt, exquiſito, & acerrimè vitalia ipſa affligenti. Alligato quippe ad ſcalas homini, plures aquæ cyathos violenter per infundibulum ori ingerunt; aquam deinde infuſam viſceribus, non minore, quà infuderunt, violentiâ, compreſſo inter duos aſſeres corpore, exprimunt; vt ore, naribusq; emanans humor, ſubtiles quasq; lædat ſenſuum portas, & ipſa ſecum trahat viſcera, maiore vi concitata. Eiuſmodi tormento diem integrum diuexatus, & cruciatus Pater Marcellus, planè impos virium in carcerem conijcitur, quo vltimo perferendo ſupplicio, fieret validior. Secutum id non multo poſt tempore, quo euocatus è carcere Pater Marcellus, & Iudicis ſententiâ ad foueæ ſupplicium eſt condemnatus. Itaque apparata ſunt ſupplicio omnia. Producitur plenus Chriſtianæ fortitudinis, & animi Pater, mediâ capitis parte raſâ, & minio tinctâ (quod ſignum apud Iapones inſaniæ, læſiq; capitis eſt) tanquam verus Athleta Apoſtoli inſtructus monito. Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens; ore, ad

iniuriam Christiani nominis, ferrato vecte prohibito, & occluso, ne quidpiam vltimi solatij adstantium Christianorum auribus infunderet; manibus præterea à tergo reuinctis, strigoso, ac elumbi iumento imponitur. Hoc itaq; apparatu ductus ad destinatum supplicij locum est, per patentes ciuitatis plateas, præferente vno ex militibus labarum, in quo crassioribus literis descripta supplicij causa, quo faciliùs à quolibet legi posset; & sensus eius erat.

Hunc hominem stultum, ob violatum edictum Regium, & contemptum, quo omnis extera prohibetur Religio, morti esse tradēdum, eiusdem Decreto Regis.

Tandem in agoni suo destinatâ areâ, arctissimè toto circumligatus corpore, demisso in foueam capite, corpore genuum tenus supra terram eminente, è pedibus suspenditur. Passus est inuersionem adeò atrocem, constans lætusq;: illamq; grauissimam viscerum conuulsionem omnium, interclusâ respirandi liberiùs facultate, toto quatriduo, magnâ delibutus dulcedine cælesti, sustinuit; ab Octobris 14 die, vsq; ad decimam septimam diem Mensis eiusdem:

do-

donec, ob reuerentiam festi cuiuspiam, quod ex superstitione Iaponum, non permittit cæsorum corpora insepulta relinqui, capitis damnatus est. In cuius amputatione, illud singulare, & admirandum contigit, quòd grauissimi ponderis romphæâ, cuius ictu vnico, præpingui boui caput amputari consueuit, vix ad ictum tertium, priorib⁹, vix tenuiter, cutim ipsam tangentibus, resectum fuerit. Sæuitum postmodum in occisi Patris corpus, frustatimque concisum, & igni absumptum in cineres, sparsum in mare; tali condimento suauiores eas facturum aquas, quibus noui in dies Martyres, eandem nauigârent ad coronam. Supra illam, in qua Pater Marcellus pependit foueam, stella quædam miræ pulchritudinis apparuisse visa est, edoctura idololatras Iapones, etiam ab obscura fouea, Christianis oriri in perpetuas æternitates radiatura sidera. Prætorium autem, & tota Nangazachi ciuitas, ad ictum carnificis, quo P. Marcelli petebatur caput, magno terræ motu allisa contremuit; admirantibus Iaponibus, vnius hominis ad ictum, totam expauescere Insulam, & inusitato illis regionibus terrore quati.

Et hanc narrationem à Lusitanis, certamini adeò glorioso præsentibus acceptam, describi curauit Pater Męćiński, quàm ego eâdem, quâ accepi fide, hic refero. Non quòd ignarus sim, post diligentem inuestigationem, multò auctiora edita ab alijs de Patre Marcello, sed vt hæc illis minimè dissona pateant, socijq; certamen, alterius socij laureâ coronetur. Interea, quem valetudini consulentem suæ, reliquimus Patrem Albertum, iterum reuisamus.

CAPVT XVII.

Itineris Iaponici Occasio & apparatus.

REparatis, quo poterat meliore modo, viribus, Pater Albertus, in illud destinatum animo Iaponicum iter, seriò incubuit; iunctusque Patri Antonio Capecio, eiusdem consilij, & intentionis socio, in regnum Camboiæ, maiorum imperio profectus est. Vbi aliquo temporis spatio commoratus, solitam virtutis opinionem suæ, omnium animis defixit. Regis præcipuè ipsius, qui, in illa demissione, & religiosa modestia Alberti, sanguinis quoq;, & nata-

lium

lium decus, mirificè adamauit, & veneratus eſt. Ille verò totum, quod ſibi charitatis Chriſtianæ officia reliquiſſent, tempus, addiſcendæ Iaponicæ linguæ, & eorum legendis characteribus impendit; vſus ad id magno adiumento reſidentium Camboiæ, mercantiumq; Iaponenſium: quamuis poſtea non ore, ſed vulneribus, omniq; ſermone eloquentiori patientiâ, apud Iapones, pro Chriſto legatione eſſet perfuncturus.

Atq; dum inter hæc ſtudia non ſegniter verſatur cum ſocijs, Pater Emmanuel Diaz Japonæ Prouinciæ Viſitator, fatis deceſſit. Subſtitutus in locum ipſius, deſignatione Superiorum Pater Antonius Rubinus, vir, præter inſignem vitæ ſanctimoniam, humanis, diuiniſq; ſcientijs eruditus, quas, præcipuo Indiæ loco, in Collegio Cocinenſi profeſſus eſt: multiſq; annis idem Collegium, ac poſtmodum Piſcarienſe, Rectoris poteſtate gubernauit. Hic, vbi ab Admodum R$\tilde{n}$do Patre Generali Mutio Vitelleſcho munus ſibi iniunctum accepiſſet, quatenus Iaponiæ Prouinciam, in ſummas adductam difficultates, adiret; eiuſq; concuſſum, & labentem ſtatum, quantum vis

humana cælesti ope adiuta posset, fulciret; simulq; Vice Prouincialis titulo, Religiosis Soc: in Chinensi Regno degentib⁹, præesset: tanquam votorum suorum, & totius, in Societate, per varios labores exactæ ætatis, vnicam amplex⁹ coronidem, profusis vbertim lachrymis, muneri manum admouit; non tam dignitatis onere, quàm liberâ Iaponicæ profectionis dispositione, &, si ita placeret DEO, profundendi sanguinis aditu lætus. Quare, moris reiectis omnibus, Manilam se proripuit, vt ibi collato cum Patribus alijs, ipsoq; Gubernatore loci consilio, quidquid maturandæ ad Iapones profectioni commodum esset, studiosè prospiceret. Affudisse feruenti animo Patris Alberti recens oleum hic rumor videbatur: datis enim continuò literis, obnixè cum Patre Rubino egit, non amplius differret animi sui vota, tot iam annis per continuas dilationes protracta, seu viuendum, seu moriendum in Iaponia esset: & vitam, & mortem, æquè se in manus diuinas permisisse; proinde, cuius ipse Præses esset, socium admitteret profectionis, & agonis. Annuit ardentibus desiderijs Pater Visitator, cumq; è Missione Camboiensi, vna cum

Pa-

Patre Antonio Capecio Manilam euocatur, magnâ vtriusq; properatione parendi, & exceſſu tanto gaudij, vt tarda illis vela, lenes venti viderentur. Manilæ Gubernator, Dominus Sebaſtianus Hurtadus de Corcóèra, certior de aduentu Patrum redditus, omni officiorum, & humanitatis ſignificatione Patrem Albertum proſecutus, hoſpitem prior in Collegio inuiſit ipſe; venientemq; poſtmodum ad palatium ſuum, ſuſcepit erecti baldachini honore, ſub quo collocatum Patrem alloqueretur, tractaretque; & veluti præſumeret honorem, quem ei, omni honore maior pro Chriſto captiuitas, & mors comparabant. Hîc, cùm celeratis ſtudijs, futuro itineri diſponuntur omnia, iterum velut ex portu iam ſoluentibus, noua difficultas remoram iecit. Subodorati nempè Camboiæ, aliorumq; locorum Præſides, quò Patris Rubini, aliorumq; intentio aſpiraret; & quod, Manilenſis manſionis prætextu, Iaponiam deſtinarent; veriti, ne grauis quæpiam iactura, ex eorum profectione, commercijs, opibusq; ſuis immineret, (cùm non in eos tantùm ſententia Imperatoris deſæuiat, qui illuc ſponte ſuâ venerint; ſed in eos

quoq; qui iter adornant, & commoditati prospiciunt)tum apud Patrem Visitatorem, tum apud Gubernatorem Manilæ, efficacibus egêre literis, iter vt eorum, non modò nullo adiuuaret subsidio, sed quibus posset modis præpediret. Non frustra hæ Patri Visitatori propositæ fuêre rationes, qui ita promouendam alacritatem fidei susceperat, vt nullius dispendio, periculoq; constaret. Quare operiri interea commodiorem occasionem certum habuit. Vna hæc fuerat, & vltima peculio suo timentis dæmonis machina, qua Diuinæ augmentum gloriæ amoliri cùm non posset, saltem retardare nitebatur. Mansêre tamen Patres eâ expectatione suspensi, & tanquam à ianuis patentis paradysi, iterum redire in mundi solitudinem iussi. Sed non imminuta sunt eorum studia, fomesq; extinctus; qui spei, fideiq; feruentis tam diu foueret scintillam, donec suæ maturum flammæ incendium sequeretur.

Ergo iam Annus Domini supra Millesimum Sexcentesimus Quadragesimus Secundus aderat; neque amplius protrahendam esse visitationis suæ obligationem P. Rubinus existimans, tanquam classicum,

Ja-

Japonico itineri cecinit; certam diem destinans, quâ clàm alijs inſcijs, ne in communem famam vulgaretur profectio, fuerant diſceſſuri. Gubernator ſupra nominatus, Patris præcipuè Alberti, probè compoſitis moribus, virtutisq; indice modeſtiâ deuinctus, vbi iam concluſam de traiectione in Iaponiam Patrum Soc: ſentetiam cognouiſſet, totum negotium ſibi diſponendum accepit; proprijs impendijs, ſumptu ad octonorum millium regalium accedente, nauigium, claſſiariosq; inſtruxit; & præter conſuetum pecuniæ demenſum, nouâ inſuper liberalitate deductorum in Iaponiam Patrum, præmium, naucleris, nauarchisq;, & claſſiariæ turbæ, ad ſex pondo millia argenti pertingens, pollicitus eſt. Diſpoſitis in eum modum omnibus, reliquum fuerat, vt non modò à Manila in Iaponiam, ſed quodam modo à portu mortalitatis, ad aliam Patriam vela facturi, quisq; ſuis, quos in Chriſto dilexerant, amicis, vltimum per literas vale precarentur.

Pater Albertus cum Collegio Craconienſi, nihil foueret in præcordijs ardentiùs; præter datas ad Collegium plenas affectûs,

&

& beneuolentiæ literas, etiam, quæ duo in vita habuerat charissima, nempe Christi è cruce pendentis, ebore elaboratam effigiem, & Beatissimæ DEI Genitricis Virginis ære depictam imaginem, eidem Collegio addixit: vsus in transmittendis operâ P. FRANCISCI de Rôâs Societatis IESV, Manilæ tum degentis. Qui licet modis omnibus contendisset, pretiosum adeò pignus in nostras vsq; terras integrum transmittere: ea tamen infelicitas nauigationis fuit, vt circumuento ab hostibus fidei nauigio, Christi quidem effigies, cum eo quo vtebatur Breuiario combusta arserit; Diuæ verò Virginis imago integra, serò tandem ad Collegium Cracouiense delata, asseruatur tanti Patris mnemosinon, inter pretiosa Diuorum lipsana repositum. Quod totum meliùs testatum faciam, si Reuerendi Patris FRANCISCI literas apposuero, quæ, præterquam quòd rei seriem aperiant, etiam laudem, & testimonium singulare Patri Alberto nostro attribuunt. Primis itaq; ad Patrem Rectorem Cracouiensem datis, 1647. Kalendis Augusti ita loquitur.

Non iniucunda obiecta mihi occasio est, quâ absens, per epistolam, ab extremis Philippinarum

oris

oris Reuerentiam Vestram conuenirem. Lætor quàm maximè, vbi pijs aliorum iussis obtemperandum est, & votis vnà meis indulgere. Fortunatissimum Martyrem, ac Apostolicum virum Patrem Albertum Męcinium, hac in vrbe Manilæ, noui, vnicè dilexi, ac humanissimè pertractaui: à quo & mihi præstita officia sunt, eâ voluntatis, & beneuolentiæ significatione, quam, vt nullo, pro dignitate, in Dei famulum opere, promeritus sum; ita & verbis, non dicam assequi, sed nec innuere posse confido. Antequam ab vrbe Manilæ in Iaponiæ Regna, Beatus Martyr adnauigaret; inter cætera, quæ curæ meæ studioq; committenda voluit, haud postremum illud fuit; vt, vbi pro Christo gloriosissimè occubuisse, rumor certus disseminaret, Christi Domini è cruce pendentis imaginem, ebore elaboratam, vnàq; Deiparæ Virginis effigiem ære depictam, ad Reuerentiam Vestram transmitterem, vt in Cracouiensi sacello ea Diuinitatis suspenderentur simulachra, quæ, in mortalitate hac, siue inter nos omnium virtutum genere, siue apud barbaros Ethnicos, innumeris cruciatibus, ac sanguinis effusione intentissimè coluit. Quod vt inter vos tanti Herois diuturnæ memoriæ, ac pientissimæ Martyris in Patriam obseruantiæ, singulare euadat argumentum, bono consilite, Cruci affixum Dominum, consonum Marty-
ris

ris monumentum, vnàq; Diuinam Matrem, Romam vsq; transmitto; vt illinc ad Reuerentiam Vestram, per Patrem Procuratorem Poloniæ, deferatur. Quod vt fieret; vt Venerabili Patri è memoria haud excidit; sic Reuerentiæ Vestræ, ac Cracouiensi Collegio, gratissimum fore pignus confido. Hæc ille. Sed vbi de successu sinistro nauigij, combustaq; Christi Domini è cruce pendentis icone inaudijt; idem ipsum alijs literis 14 Aprilis, Anno 1648. datis, significauit his verbis.

Reuerende Pater Procurator Generalis, Prouinciæ Lithuaniæ.

Pax Christi.

SVperioribus annis rumor hic percrebuit, repetitis à Regnis Iaponiæ, tum huc Manilam, tum Macaum nuncijs delatus (vt in annuis literis ad Reuerendum Patrem Nostrum Generalem perscripsi) Patrem Albertum Męciński Societatis nostræ, inter innumera tormentorum genera, ac scrobis supplicium vltimum, solenni inter Iapones, his temporibus, crudelitate, feliciter & sanctissimè occubuisse, eâ quam totis præcordijs exarserat, Martyrij laureâ potitum. Vt felicitatis tantæ fama ad me peruenit, quem vnicè hîc dilexeram, ac peramicè tractaueram, illicò vt Martyrem religio-

ligioſè venerari cœpi. Exin operæ pretium me facturum duxi, vt etiam à Sancto Martyre in Japoniam adnauigante in mandatis acceperam, ſi quæ apud me Religionis ergo ſeruabam Patris monumenta, ad Reuerentiam Veſtram in Europam tranſmitterem. Itaq; Martyris Breuiarium, imaginem Chriſti Domini è cruce pendentis, ebore elaboratam, vnàq; Beatiſſimæ Virginis icona, vt in Cracouienſi ſacello, in tanti Martyris memoriam ſuſpenderentur, ad Reuerentiam Veſtram Romam deferri mandaui. Sed, vt ſunt marium, ventorumq; effectus varij, innumeraq; pericula; dum ex hac vrbe Manilæ, variæ nauiculæ ad prægrandem onerariam in alteram Inſulam properant, hoſtium ſubitaneo impetu occupatæ, huc illucq; diffugiunt; præ cæteris, quæ Sancti Martyris monumenta deferebat, nè in prædonum poteſtatem veniret, à noſtris vltrò combuſta eſt, proſiliente in littus nauta. Nec miror: uti Beatiſſimus Martyr ſe viuum varijs cruciatibus obtulit, ac cadauer, vti mos eſt inter Iapones, flammis vorandum addixit, ſua, poſt obitum hîc, hoſte perſequente, comburi permiſerit. Attamen incolumis è flammis, Sacra Deiparæ imago euaſit; eamq; modò, eidem Collegio, ac Sacello Cracouienſi deſtino, enixè rogans Reuerentiam Veſtram, vt Româ Cracouiam quàm citiſſimè deferri curet.
Inte-

Interim Reuerentia Vestra, hanc, qualiscunq; illa sit, in Sanctum Martyrem, cunctosq; Prouinciæ Poloniæ Patres voluntatem, æqui boniq; consulat: ac commendatum habeat in suis Sanctissimis Sacrificijs, ac orationibus.

Præter id, adeò insignè donarium, non inferiorem venerationem eiusdem scriptæ Collegio Cracouiensi literæ merentur, quas iam iam discessurus Patribus Fratribusq; dedit in hæc verba.

Reuerendi in Christo Patres & Charissimi Fratres.

PAX CHRISTI.

VLtimum in hac vita valedicturus istas scribo. Siquidem iam Dominus meus vocat me ad onus crucis suæ ferendum, & moriendum in illo theatro Athletarum suorum, qui id sanguine suo purpurauerunt. En iam, post superatos Oceanos, & tot pericula, mari, terraue, post captiuitatem Hollandicam, & alia multa mortis pericula superata pro nomine IESV; *vltimum superérat mortis genus: quod, quamuis crudelissimum, fæcundum tamen vitæ æternæ, gaudens amplector. Post aliquot dies circiter, dum hæc scribo, aggredior luctam contra Tyrannum spiritualem, cui præsentabimur ad confitendum nomen*

men Domini IESV; *Tyrannum, inquam, ebrium sanguine Martyrum Christi. Video iam hîc renouata Diocletiani tempora, & furentem Sathanam in inuentione cruciatuum, in caput eorum, qui euangelizant verbum Dei. Et iam cathenæ, catastæ igneæ, craticulæ ferreæ, sartagines, rotæ, acus vnguibus inserendæ, cruces, foueæ, gladij, & alia dira tormentorum genera à Diabolo inuenta, in oculis meis versantur. Sed veniant hæc, & omnia Inferorum tormenta, tantùm Christo meo fruar. Non puto hæc tormenta, sed serta; non cruciatus, sed coronas, pridem animo concupiscenti præparatas, quæ magis inuitant, quàm arcent. Congratulamini mihi, & congaudete, quia Domino placuit, hunc Orientis hortum, sanguine Aquilonis rigare; & pro peccatis, pro quibus mihi pæna ingens debebatur, me ad palmas, & coronas vocare. Misericordias ergo eius in æternum cantabo. Vado lætus, confisus brachio Omnipotentis, & patrocinio Deiparæ Dominæ meæ, per quam mihi, hæc tam admirabilis gratia, & omnia alia bona, toto tempore vitæ meæ fluxerunt; cui tanquam admirabili gratias humiles persoluo; & omnes ad illius deuotionem, quæ tam in me peccatorem liberalis fuit, inuito. Nemo ita ambiuit imperia, & coronas, vt ego propter Christum carnificum ma-*

nus; nemo maiori sedulitate ridendos honores mundi, & diuitias vanas quæsiuit, vt ego locum inter diros cruciatus, pro Domino meo ferendos. Dabunt confidentiam magnam peccatori miserabili, ictus, & plagæ cruentæ ante Tribunal Christi: & spes vitæ æternæ erit mihi firma, si lauero stolam meam in Sanguine Agni. Dum has recipietis, iam, vt confido in misericordia Domini, cursum peregrinationis meæ finiam. Et scitote, quòd præ omnibus Societatis Collegijs, hoc maximè dilexi, in quo Dominus meus qualiscunque substantiæ meæ, hæres fieri dignatus est. Valete millies. 2. Iulij 1642. Datum in Insulis Philippinis, in itinere Iaponico.

Seruus in Christo,
Designatus ad mortem pro Christo,
Albertus Męcinski.

Scripsit & sorori suæ superstiti patrio idiomate sub eadem die has, quæ sequuntur.

Literæ Dominationis Vestræ ad me datæ, magnum mihi attulêre sensum gaudij, quòd prætérquam saluam, & incolumem vtramque Dominationem Vestram cognoui; etiam neptem meam intellexi adoptatam esse in tutelam, & patrocinium Domini mei, qui, longè solidiore curâ, eius necessitatum, Patronum, ac tutelarem aget, quàm ego in sæculo omnium virium mearum contentio-

ne

ne egissem: modò, quod illius est, tantum Patrem demereatur, humilitate profundâ & fideli curâ mandatorum eius. Ego vero vltimùm hasce literas scribo vobis, cùm me iam inuitet, & euocet ad portandam crucem suam Dominus meus. In qua, si me spes mea, fiduciaq; certa non fallit, intra duarum, aut trium hebdomadarum decursum, perueniam & ego, inter carnificum manus, ad præfixum mihi terminum mortis obeundæ pro veritate, & confessione fidei ipsius. Progressurus abeo in theatrum illud redundans sanguine Martyrum Christi, ad subleuandas animas, tyranni persecutione depressas quam, sagax animarum hostis industria, ad dimouendas statu beatitudinis æternæ fidelium mentes, inuenit. Versantur iam mihi præ oculis, tyrannica supplicia, quæ nullus hactenus Diocletianus reperit; sola Dæmonis versutia orbi alÿ ignota, & recondita, hîc produxit Et quamuis difficilia sint percensendo; tamen, Dei ope freto mihi, toleranda. Minimum me arcent hæc omnia, tanquam cupienti animo præparata. Memoriam appello Dominationis Vestræ, quantâ animi mei siti, hæc in Polonia adhuc degens desiderauerim, mori pro Domino meo, qui morte crucis acerbissimâ pro me prior ipse mori dignatus est. Totam rationem spei meæ deposui, in auxilio potentis dexteræ

ipsius; in patrocinio Pretiosissimæ Parentis Benefactricis meæ; in ope Patroni, & Protectoris nostri Diui FRANCISCI *Xauerij. Aderitq; mihi Dominus meus in omnibus tribulationibus, & pro suo nomine decertantem adducet ad brauium & palmam æternæ felicitatis. Inde verò cognoscat, & intimè animo deponat Dominatio Vestra, quantum expediat, obsequiis se deuouere diuinis; qui ob has mundi nugas, & inanias, quas pro eius nomine reliqui, tanto me dignatur honore. Nemo ambitione vnquam pari, mundi fastum, & gloriam quæsiuit, vt ego horam hanc; nemo auiditate maiori diuitias, auriq; copiam scrutatus est, quàm ego tradi in catenas, & vincula, amore Saluatoris mei. Magnis mihi impendijs constitit hic locus, sub manu, & securi carnificis mori: nunc me Dominus meus eò prouocat. Quare libens induo vestem purpuream, sanguine agni immaculati tinctam, ad confundendum Sathanam, ad maiorem Domini Nostri* IESV *Christi gloriam, ad auxilium & subsidium animarum. Vestris autem Dominationibus, tum & nepti, nepotiq; meo, testamenti loco, vt potè proximè sanguine mihi iunctis, benedictionem cælestem Domini Nostri* IESV *Christi, cuius causa libenter morior, relinquo. Commendo vobis amorem super omnia* DEI, *benignam erga pau-*

peres

peres ſubditos miſericordiam, ſed præcipuè erga Sanctiſſimam Dei Parentem Virginem, pium, deuotumq; affectum: cuius ego materno fauori, & protectioni, totum quidquid in vita habui, bonum, attribuo. Hæc ſi ego efficaciter vobis perſuaſero; ſpero fore, vt nos in cæleſti patria, magno mutuæ conſolationis fructu, reuiſamus. Non dubitet porro, vbi ſingulari miſericordiâ Dei, ante thronum gloriæ ipſius, cum victrici laurea conſtitero, recentem memoriam habiturum me, tum vtriuſq; Dominationis veſtræ, tum Perilluſtris prolis, & vnà amicorum omnium. Datum ex itinere Iaponico.

In eundem ſenſum, licet paulò ſuperiori tempore, cùm necdum Manilam veniſſet, ad vnum è noſtris ſcribit.

Sufficit, ſatiſq; eſt tibi amantiſſime Pater, quòd Reuerentia Veſtra in medio tribulationum verſetur; multumq; pro honore, & gloria Diuina propaganda ſuſcipiat impendij, & conatûs. Ego verò licet tanto iam tempore aditum laborum tentauerim; tamen impedientibus peccatis meis, deſideo, & penè facio nihil. A tempore captiuitatis meæ finito, Macaum redij, ægrâ valetudine, viribus læſis; inibiq; menſibus quinque hæſi affixus lecto; & poſtmodum, neſcio quâ ratione, ad maiorem firmitatem, roburq; redij. Fortaſſe eſt

voluntas Domini mei vti obsequio meo ad aliquam expeditionem suam. Ego quidem Missionem Tunchinensem interpretatus sum primâ fronte; sed vbi sparsus est rumor Iaponiæ Imperatorem obÿsse; expedit interim præstolari, nec sinere elabi occasionem, ad quam Deus vocat me. Enixè rogo Reuerentiam Vestram, impetret mihi Diuinæ auxilium gratiæ; quo subnixus, possim illius promouere gloriam vbiq;, & in omnibus rebus, omni meliori modo, qui mihi in hac vita possibilis est.

Tandem post alias omnes (quarum plures interiêre, nec earum quærendi copia fuit) ista est extremarum lacinia literarũ, in qua omnes aliæ in Poloniam deportandæ cum valedictione, in Iaponiam nauigaturi Patris ALBERTI, inuolutæ fuerant, missa ad piæ memoriæ Patrem GEORGIUM Cislak Prouinciæ Polonæ & Lituanæ Procuratorem, Romæ degentem.

Mitto vltimas literas Reuerentiæ Vestræ; dirigat ad eos, ad quos pertinent. Mitto in memoriam mei Collegio Cracouiensi imaginem meam, & crucifixum in Sinis factum. Et quia scripsi aliàs latè Reuerentiæ Vestræ, vale vltimum dicendo in hac vita: iam nunc non scribo. Dum has accipiet, puto cursum meum finiam in manu carnificum,

ſicum, pro ſide IESV *Chriſti: poſt triginta dies, plùs minùs id futurum puto. Citò ſcribo; nam vocor ad metam. Vale millies amice chariſſime. Datum in itinere Iaponenſi 2. Iulij. 1642.*

Reuerentiæ veſtræ Seruus in Chriſto
ad mortem pro Chriſto deſignatus
Albertus Męcinſki.

Coronet verò has Patris Alberti noſtri literas à Patre Antonio Rubino, Præſide, & ſuperiore huius manipuli Martyrum, magno ſpiritu exarata epiſtola: quâ & ſuos ſolatur ſubditos; & illis, qui iam precibus, iam auctoritate iter hoc impedire conabantur, ſufficienter reſpondet. Quam idcircò hîc inſerui, conſtet vt idem propoſitum ambientibus viris, quàm magno ſpiritûs, virtutumq; feruore impellantur ij, qui adeò difficilem ſubeunt pro Chriſto decertandi aleam.

Reuerendi in Chriſto Patres & Fratres Chariſſimi.

NOn putaui permittendum, ire in occaſum hunc diem, quin vltimum dicerem vale Reuerẽdis Patribus, Chariſſimisq; Fratribus meis, quorum recentem memoriam defero mecum, non modò ſcriptam, ſed impreſſam cordi meo, illo amo-

re, quo erga singulos affectus sum in Domino; quos vt amaui semper, ita confido amaturum me; non modò quamdiu viuere permissum fuerit è cælo, sed & postmodum manente æternùm integrá lege, finem non habentis amoris. Certum, ac deliberatum mihi est, officij mei munus in Iaponia exequi, quo placuit Diuinæ prouidentiæ humeros meos degrauare. Sincerè autem fateor, me nunquam alias ausurum fuisse, etiam cõsilio, aliquem, a suscipiendam Missionem hanc, adhortari, nisi præcederem exemplo: cùm benè recorder, vnam è boni pastoris conditionibus, hanc à Summo Pastore esse designatam, quòd bonus pastor ante oues suas vadat. Quando itaque Deo, citra omne meum meritum, placuit, constituere me Pastorē electarum ouium suarum; quomodo possibile est Carissimi Patres, & Fratres mei, vt permittam me arceri, ab executione conditionis adeò grauis, & necessariæ! Prætexent fortasse aliqui, & querentur, operâ se meâ destitui: sed mihi promptū est dicere, relinqui illos à me sub alis Diuinæ Prouidentiæ, & protectionis, quæ singulorum votis efficaciùs est responsura. Et vt id, quod magis me mouet, aperiam: Admodum Reuerendus Pater noster Generalis, non ideò Visitatorem me fieri voluit, vt in Macaënsi Collegio totos insumens dies, manducarem, biberem, indormiremq́;
nego-

negotijs; ſed vt irrequieti ſideris more, commiſſum muneri, & ſubiectioni meæ oberrarem circulum. Cuius quia principalis locus Iaponia eſt; æquum cenſeo, eo me proficiſci primùm, & ex ipſo decernere aſpectu, quidnam adferri remedij poſſit animabus, omni deſtitutis ſpirituali ſubſidio, & collocatis in extremæ neceſſitatis puncto. Poſſibile equidem iudico dari mihi poſſe occaſionem commodam, eâdem naui remeandi ad vos, vt præſentibus minoribus auxilijs, ſuppetias maiores ſubmittam: ſi tamen placuerit negare DEO, immoriar officio meo; vt cognoſcat mundus, Societatem, omni quo poteſt, poſſibili modo ſuccurrere, & proſpicere illis, quorum curam ſuſcipit, Chriſtianis. Vtque veritatem confitear, inde mihi rem grauiſſimam ab Admodum Reuerendo Patre Noſtro factam, cùm me hîc Viſitatorem creauerit, iudico, (non quod aliquando gubernationis mihi onus depopoſcerim, ſiquidem liberum me per Dei gratiam ab hac cogitatione ſentio) quòd occaſio aperta mihi ſit deducendi ad effectum antiqua deſideria mea, quæ ad hanc expeditionem Iaponicam Dominus mihi communicare dignatur. Valdeq; rudis, & ignauus eſſem, ſi, ad manum opportunitate delatâ, eam elabi ſinerem, & non potiùs obuijs vlnis arriperem. Sunt autem adeò vehementes impulſus, quibus me ad hoc ſu-

scipiendum iter moueri sentio, vt, si iterum videndum mihi Macaum foret, putarem omninò in mari demergendum me, propterea, quòd Diuinæ repugnauerim vocationi, ad instar illius Ionæ, refugientis exequi, quod ei mandauerat Deus. Itaq; Patres, & Fratres mei, boni consulite profectionem hanc meam; sequar vocantem Deum, ipse nouit, quo successu. Ego nullum ampliùs defectum, & incommodum timeo: subuenit in omnibus magnâ suauitate Deus. Non impediant tantum bonum meum: multoq; magis non retardent, nec intercipiant gratias, quas placet Deo festinare pro me. Scio quid mihi, & Ordini nostro prosit. Quis scit vtrum hæc voluntas Dei non sit, hoc itinere meo aperire occlusam diu portam, quo Reuerentiæ Vestræ possint assequi anxia vota & desideria, quæ communicat Deus. Mei autem iactura quantula est? præterquam quòd Sanctum hoc Collegium magno liberabitur grauamine tanti vnius peccatoris, propter cuius demerita, fortasse subtraxit multas gratias; aliàs, si ego abfuissem, concessurus. Permittite projici in mare hunc miserabilem Ionam; & cessabit mare, eiusq; tempestas à vobis. Præbete consensum itineri meo, vt compleam perfectè id totum, quod Deus vult compleri à me. Non amplius me dictis, scriptisq; literis affligite, identidem, vt redeam,

deam, ſuadendo. Nolite cor, animamq́ meam excruciare penitùs, tot comparatis rationibus, quæ conuenientiæ, minusq́ valoris apud me habent. Non ſuccenſeant huic fratri, ſeruoq́ ſuo; nec eiuſmodi edant planctus, & commiſerationes, quibus attendere in præſens non vacat. Imò potiùs congratulatione fraternâ, proſequantur me: iungant viæ meæ ſanctiſſimorum Sacrificiorum, & orationum ſuarum ſuccurſum, bonamq́ apprecentur viam. Deus (dicant) deducat illum ſaluum, & faciat aſſequi metam deſideriorum ſuorum; ad portam adeò deſiderabilem exſcendat. Siquidem hoc modo, felici acclamationum circumfuſus applauſu, recedam conſolatus, plenusq́ ſpei, Dominum noſtrum, confidens, auditurum preces ſeruorum ſuorum. Quanta enimuero hæc mea eſſet felicitas! ſi placeret Deo, vitam me in hoc paſſu amittere; aut, dicam meliùs, pretiosè lucrari. Non ſum equidem promeritus tantum bonum: gratia hæc ingens eſt, nec cadit ſub meritum Non ſum dignus, qui vitam meam ipſius expendam amore; me tamen proijcio intra eius Diuina brachia, vt ille diſponat de me, prout ipſius Maieſtati gratius videbitur. Et quid vereamur mali, in loco adeò ſecuro conſtituti Prouidentiæ, & Gubernationis Diuinæ? Tenemus eius promiſſum. Nemo eas de manu mea

nu mea rapiet. Licet omnis tormentorum expromatur vis, quam humana malitia potest depromere; non tamen sufficit ad nos, é sinu, & brachijs Dei Nostri emouendos. Verùm, & indubitatum est, nos pro Christo pati: sed & illud certum, Christum esse, qui patitur in nobis. Sensus Diui Cypriani est, qui ita ad Martyres: Dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare: qui non tantùm seruos suos spectat; sed ipse luctatur in vobis, ipse, in certamine agonis, & coronat, pariter, & coronatur. *Et alio loco dicit:* Martyrem hilariter, & exultando pati. Hoc solum ipse conuoluens, quòd ex illa crudelitate carnificum, plus, pro quo patitur, Christus ipse patiatur. *Et hoc sensu explicat S. Ambrosius.* Vado Romam: intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset. *Quod si ipse in nobis Dominus patitur, quid metuamus? Hoc vnicum videtur non esse consultum benè, quòd omnes vnà simul in Iaponiam moueamus. Nam si mihi resolutum cælitùs est, ad metam vsque peruenire: & illus procedendum erit. Sunt verò Pater Antonius Capeci, Pater Albertus Męcińſki, P. Didacus Morales, P. Franciscus Marquez, putoq; nobis adfuturos comites quatuor sæculares. Alij autem Patres mei,*

tres mei, annum ſequentem præſtolabuntur, alijq; qui eiuſdē ſentētiæ fuerint, his præmiſſis quinque prius, qui iam ſunt deſtinati. Præſtet hoc Diuina Bonitas, vt Iaponici ſecuritas itineris, non ſæcularium, & mercatorum operâ, ſed Religioſorum potius aperiatur labore. Reuerentiæ Veſtræ omnem adhibeant operam, vt ſuccedant his, qui iam ſunt deſtinati. Nos verò planum reddemus eis iter, aperiemuſq; portas; modò illi interea præparent, & colligant, quàm poſſunt abundantiſſimum commeatum virtutum & mortificationis; totum cor medullitùs mancipando Deo: repudium verò perpetuum omni indicendo commoditati. Niſi hoc fecerint, expeditioni huic aptos ſe minimè iudicent. Quanquam videre mihi videor, eorum omnium corda, & affectus, ardentiſſimo ſuccedente deſiderio, bullire, vt amore Chriſti, Iaponum ignibus, quàm citiſſimè torreantur; in foueiſq; adeò crudelibus, & formidandis appendantur; addente animum magnâ ſpe, eò quòd appropinquet regnum cælorum. Dato tamen, quòd mihi immuni Iaponem voluerit: de toto vlteriori progreſſu diſponam, ſcribamq; eâdem, quæ nos deductura eſt, naui. Pax Dei, quæ exuperat omnen ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. IESVS ſit refugium veſtrum. Si vos inceſſerit deſiderium alloquen-

alloquendi mei, & videndi, defigite oculos in crucifixo Christo IESV: *ibi me inuenietis ad eius proiectum pedes, & cum peccatrice Magdalena deflentem grauia delicta mea. Hic mihi locus est acceptissimus, à Domino meo designatus: hîc ego decumbo, hîc noctes diesq; traho. His amplexu meo strictè illigatis illud suggero: Da mihi o Bone* IESV, *ut sequar vestigia tua: da Domine* IESV, *da quod iubes, & iube quod vis. Quibus ipsis verbis epistolam hanc concludo, & singulos vestrum omnium, quo maximo possum, complector affectu, & ad pedes uniuscuiusq; deiectus, cum lacrymis deprecor veniam, huic maximo peccatori. Dignentur mihi condonare defectus omnes in gubernatione commissos, exiguamq; ædificationem, quam hoc tempore commorationis meæ in hoc Collegio præstiti. Spiritus Sanctus impleat corda vestra: charitas Christi possideat animas vestras. Amor Christi* IESV, *& Beatissimæ Virginis Deiparæ inhabitet in mentibus vestris. Et idipsum toties dum repeto, commendo me Sanctissimis Sacrificijs & orationibus Patrum Fratrumq; omnium Manilæ 4. Iulij 1642.*

Omnium seruus in Domino,

Antonius Rubinus.

C A P V T XVIII.

Iaponico littori exponuntur Patres, & continuò agniti, Iudici ſiſtuntur. Eorum interrogatio, tormenta, & mors.

QVisq; pro affectu, ſtudioq; ſuo, poſtquam per literas, amicis, terris, orbeq; diuiſis, vltimam eſſent valedictionem, & ſalutem impertiti, accinxêre ſeſe demum proximæ expeditioni itineris ſui. Atq; vbi Collegij Munilenſis ſocijs, tenero amplexu fuiſſent infuſi, vberrimisq; lachrymis vltimum allocuti; veſtes, quas vſui Religioſo habuerant, deponunt; & quo occultiore viâ Iaponiam illaberentur, gentis in morem, detonsâ comâ, veſtem, & habitum reliquum, nationis conſuetudini accommodant. Videres mirabili quodam ingenio pietatis, conflari in vnum, ſæculum, & DEVM; in vnumq; compoſitum redigi, Religioſum mundumq;. Erubeſcebant, ad aſpectum inſolitæ veſtis, Religioſi Patres; ſed & illa, quæ intus in animo flagrabat, charitas, profani veſtimenti nouitatem, ſuâ, quâ abundat, ſanctitatis luce excuſabat. Ita illi è pieta-

è pietatis ingenio, modò Religiosi, iam verò Iapones, vt suo ab alijs distinguuntur habitu; ita maiori, quàm vt calamus edicat, animi iubilo, & exultatione, supra spē, aduersaq; omnia erecti, accensâ aliorum animi piâ æmulatione, vbi solicitas eiusdem felicitatis lachrymas emouissent, 9. Julij, Anno 1642. horâ post medium noctis proximâ, ex Philippinis Insulis, prætextu suppetiarum, ad vindicandam ab Hollandis Formosam Insulam, inferendarum; reuerâ Iaponiæ adeundæ, & eliberandæ Ecclesiæ Christi, Formosissimæ Sponsæ gratiâ, soluerunt. Quis nauigationis eorum successus fuerit, quàm felicibus velis, illa periculosis Typhonibus subiecta maria, sulcauerint, incognitum nobis est: hoc certum, mensem vnum nauigatione extractum, donec ad Augusti 11 diem, Iaponiæ proximè admoti, in exiguam Insulam Saxumæ dictam, excensionem fecêre. Illâ primùm die assecutos diceres votorum metam, & gaudij: vbi suspenso primùm ad invsitatam felicitatem animo, mox vberiore inundante lætitiâ, in genua depositi, fixis in cælum oculis, leuatisq; manibus, Diuinæ Prouidentiæ ductum, regimenq;, magnâ actione

gratia-

gratiarum celebrârunt. Videbatur tellus illa vix ſufficere frequentibus oſculis, lætisq́; lachrymis, quibus illi pacem precati Patres, tanquam Bonæ Spei amplexati ſunt Jnſulam; quâ ſoluturos breui ſe ſperabant, proprio effuſo ſanguine, in poſſeſſionem feliciſſimæ æternitatis. Perfuncti hoc pietatis titulo, vbi aliquantum hilari, piæq; voluntati, & communi lætitiæ litaſſent; ſubitario opere, protegendis à graui regionis frigore corporibus, tugurium excitauêre; vt hoc modo, etiam habitationis titulo, & poſſeſſionis iure, Iapones eſſent. Verùm non erat voluntas Diuina, diutiùs hâc caueâ prohibere Athletas ſuos, quos ille campo, & arenæ deſtinauerat. Intra enim dies aliquot, frequentiſſimæ littoribus omnibus inſidentes vigiliæ, nouos incolas deprehendêre: & illi exiguæ circumfuſi caſulæ, poſtquam ſingulos Patrum tractauiſſent militariter, catenisq;, & vinculis degrauaſſent; Nangazachum, ciuitatem totius Iaponiæ præcipuam, deduxêre die 21 Auguſti. Quod adeò à longè peregrinos hoſpites acciperet diuerſorium, carcer erat, & crudeli neci adiudicatorum hominum, malè olida ergaſtula, in quæ compe-

dibus, catenisq; graues, compacti sunt Patres. Noctem illam duxêre insomnes, cùm iam veluti prægustarent propinatum sibi cælitùs passionis calicem; totiq; exhauriendo, cælestis auxilij pronam opem supplices implorarènt : quatenus non degeneres Societatis IESV Filij, ex hoc primo, qui eis imminebat conflictu, referrent Christianæ fortitudinis, & victoriæ palmam.

Postridie vt erant ligati, & catenis in opprobrium onusti, ante Præsidem constitêre. Qui, ad Patrum infirmandam constantiam, & conciliandam sceleris audaciam, transfugam quendam Christianæ fidei, & Apostatam, Ioannem de las Chiaues nomine, aduocauerat; qui interpretis loco esset. Hic primùm, Præsulis iussu, quærere ex Patribus institit, vndenam essent? quis illos casus, aut propositum, inuexisset Iaponum terris? cujus rei perficiendæ studio illic commorarentur? Patres vnanimes, Visitatoris ore, respondêre. Sacerdotes se esse Christi IESV, & ex eius Societate Religiosos: causam itineris non aliam, quàm vt sanctam, veramq; prædicarent IESV Christi Fidem; quæ cæli sola aditum aperit mortalibus; & quam tantopere abominantur Iapones,

pones, malè in Saluatorem ſuum grati, nec ſatis gratiæ ipſius correſpondentes; qui, pro eorum incolumitate, & ſalute æternâ, immania quæq́, tormenta, & mortem abominandam crucis voluit perpeti; modò illi æternæ damnationis, & inferni flammarum euaderent debitam ſceleribus ſuis ſententiam. Cùm verò à natura homines ſint maturi iudicij, & ad res ex vero penſandas perſpicacis ingenij, & tamen repudient adeò manifeſtam veritatem; fieri non poſſe, vt in illo extremi iudicij decretorio die, euadant ſupplicium ignis, æternarumque pœnarum. Tum Ioannes, Gubernatoris iuſſu, ad delinimenta, & fraudes conuerſus, hortatur, velint ab ea, quam adeò proteruè tuentur, religione recedere; & eis ſe, Gubernatoris, adeòq; Imperatoris ipſius nomine, grauiſſimo interpoſito iuramento, polliceri; nullam rem fore, quam animo deſignarent, quæ non illis continuò liberalitate Principis conferretur: inter minima autem computarent, auri, argentiq́; diuitem gazam, & quæ familiæ domeſticæ vſui eſſent. Commoti grauiùs, & irritati compellatione adeò indignâ Patres, eorumq́; Superior Rubinus, magno animo in Apo-

 ſtatam

ſtatam illum inuectus eſt. Apage, inquit, perfide Apoſtata: quæ te Tygris, quæ Leæna, partu crudeli, profudit? quæ viperina rabies veneno ſuo pauit, qui audeas deſiderijs noſtris, Deiq; noſtri ſacroſanctis mandatis, adeò diſſimilia obtrudere? An tu conſtantiam noſtram, eiuſmodi puerilibus crepundijs, & propoſitione adeò inſigniter ſtolidâ vis experiri? ſcilicet proculcato, & ſordido luto, poſtpoſituri ſumus, ipſius meridiani elegantiam cœli? Recede hinc procul primogenite Sathanæ: gazam, diuitiasque, & munera, in tuam perditionem habeto: mors nobis, ignis, cruces, & taureæ, & quidquid infernus tormentorum exeret, potiora ſunt. Ad hanc plenam libertatis, & fortitudinis Chriſtianæ vocem, tanquam fulmine tactus Apoſtata, diſparuit: neq; ampliùs, in conſpectum Patrum, conſcientiâ facinoris, vim veri non ſuſtinente, venire auſus fuit. At illi, immotâ fronte, eandem, cum Superiore ſuo, conſtare ſibi ſententiam teſtati, corpus vltrò duriſſimis tormentis deuouere, pati, & perferre omnia cupere, vitam, & quidquid mundus maiore pretio æſtimat, aſpernari; vt tantæ admiratio virtutis, etiam in barbari Præſidis pectore,

ctore, attonitam ſui excitaret reuerentiam. Repetitâ poſtmodum interrogatione ſciſcitatus eſt Gubernator; venerintne in notitiam Patres ſeueri edicti, quo Xogun, ſexaginta Regnorum Imperator, ab ingreſſu imperij ſui prohibuit omnes Caſtellanos, Luſitanosq; omnes, maximè verò Sacerdotes Romanos; propoſitâ in tranſgreſſores pœnâ capitis, aliorumq; immanium ſuppliciorum, nullâ hominum, perſonarumq; exceptione: ideòq; & diligentiſsimis excubijs, terras omnes, portusq; circumdediſſe, ne quà aditus eiuſmodi aduenis pateret, qui, religionis prætextu, motus in Regno, & tumultus ſeditiosè excitarent? Quod ſi hæc perſpecta haberent, quânam ſtultitiâ adacti, ſponte ſuâ, vltimum capiti diſcrimen acceſſerent? Conſtitiſſe ſibi Imperatorum edicta reſpondit omnium nomine Pater Rubinus; ſcire ſe immanitatem tormentorum, & ſuppliciorum, ante iam executioni fuiſſe mandatam: ſed vrgeri ſe efficacioribus, & grauioris momenti imperijs, quæ, à Supremo Regum omnium Imperatore DEO, eiusq; Filio IESV Chriſto, haberent, ad proferendam gentibus his Euangelij lucem; eosq; ad agnitionem veri

DEI deducendos: cuius sanctissimæ voluntati, vt promptissimè morem gerant, paratos se, non vnam modò profundere vitam: sed quamuis replicata centies corpora, & multiplicatos artus haberent, ipsius hæc amore, nouis, iteratisq; suppliciјs immolarent. Et quidem præpeditos se properatâ hâc captiuitate, magnâq; deiectos spe, quam conceperant plurimos ex Iaponibus ad DEVM deducendi: sed & sic, omnem illis adimi euadendi in extremo iudicio occasionem: cùm, omni clariùs loquelâ, & sermone, laceris artubus, ipsâque crudeli morte testaturi sint veritatem eius Numinis, pro cuius promouenda gloria, hæc, quâ nihil in terris magis formidabile est, mors, & atrocissimæ pœnæ, tantâ auiditate, & desiderio expeterentur. Dixêre hæc Patres adeò præsenti animo, vultuq; non in rugas collecto, sed firmo, audaciq;; vt ipsa loquentium grauitas, & emicans generosi animi impetus, circumstantium, ipsiusq; Præsidis emoueret admirationem; & in tanta eorum libertate dicendi, vlteriorem suspenderit respondendi, aut interrogandi facultatem.

Itaq; de concertationis arena deducti, ite-

iterum carceri, ergastulisq; suis, Christi Athletæ mancipantur. Augetur excubitorum frequentia; alimonia, orizæ aquæ incoctæ, exiguo dimenso definitur; vt ægrè retinere vitam, famem nunquam possent repellere. Hasq; inter ærumnas carceris, & situs, vnum, & alterum exegêre diem, donec supplicio necessaria pararentur.

CAPVT XIX.

Describitur Tormenti aquæ genus, eiusq; experimentum à Martyribus susceptum.

BReui eâ concessâ morâ, ad supplicium bibendæ aquæ damnati sunt Patres. Quod cùm sit crudelissimum, & excogitatissimum; ita vni, & primario Iaponicæ crudelitatis ingenio est adscribendum. Alligatur Martyr ad staturæ suæ compares scalas fortissimè, (sinistrâ duntaxat manu vinculis expeditâ, quo possit, apprimendo eam pectori, motam iam à constantia fidei mentem significare) caput illi erecto collo supinum constituitur, quo ad absorben-

dam, infundēdamq́; aquam reddatur commodius. Taliter constituto, carnificum manu, infundibuli instar, excauatus ori imponitur scyphus; cuius foramine, tantum aquæ in os violenter ingeritur, vt, repleto corpore, vix sit liberæ respirationi locus. Tum deinde, hinc inde positas tabulas, viri fortissimi, quàm possunt arctissimè, toto conatu comprimunt; &, quam ante infuderant aquam, medullitùs eliciunt: quæ maiore coacta impetu, fertur violentius, secumq́; sanguinem trahens, neruos ipsos, interioraq́; perrumpit; eo acerbiore, quo interiore magis dolore: ita vt qui hoc perfunguntur tormento, viribus destituti, planè reddantur semineces, & exanimati.

Hoc itaq́; tormento, cui semel tolerando humanæ vix sufficiunt vires, singulis, aut alternis diebus, Christi seruorum constantiam experiri libuit. Fuitq́; hæc, inter alios Iaponicos Martyrum triumphos, celeberrima Patris Alberti Męćińſki, Sociorumq́; eius laurea; quæ cum alijs, non modo immanitate supplicij, sed & ipsâ productiore pœnâ, & mortis diuturniore morâ decertaret. Protracta fuit ad septem vsq́; mensium spatium hæc quotidiana ferè laniena;

niena, contendente ad brauium Martyrum conſtantiâ; ſeu paterētur carnificum diras manus, ſeu corpus vlterioribus perferendis tormentis, illâ modicæ quietis intercapedine durarent. Quanquam videre erat, decedente corporis vigore, augeri magis alacritatem ſpiritus, & illa diſpendia valetudinis, compendium fieri æternitatis. Contendebat in Pugilibus Chriſti, cum obſtinata Tyranni peruicacia, Chriſtianæ Fidei, & Religionis, Petræ inſtar immobilis fortitudo. Dies illa quæ vocabatur quietis, plena erat melancholiæ, triſtisque animi; cùm ad tormenta procedendum erat; pro limine carceris, Patres, ſæuus lictor inuenit; adeòq; gaudentes, quia digni erant pro Nomine IESV contumaliam pati. Centies, & quinque ferè vicib9, tāto cum dolore bibêre affuſam aquam; certi torrentem ſe voluptatis bibituros apud eum, qui nec aquæ frigidæ calicem inanem eſſe præmij voluiſſet. Adeò, iuxta literam, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; imò aqua hæc ignem accendiſſe viſa eſt; adeò ex ipſius crudelitatis eluuione, ardens ſemper maiora patiendi ſitis, cor Martyrum adurebat.

Tandem cùm Præsidis pertinaciam, hæc, adeò firma, & tot mensibus infracta constantia pudore suffunderet; non amplius tentandam ratus aleam, à qua plus sibi, Dijsq; suis ignominiæ polliceretur, quàm gloriæ; terminare tandem epotas aquas grauissimo congiario instituit 16 Martij, 1643. quoad vltimam satietatem expleti, mortem sequentibus inferendam diebus, expectarent. Namq; Præses, postridiè congregatis Assessoribus, conceptis verbis, mortis protulit sententiam, eamq; continuò significari Patribus imperauit. Tum verò audito decretorio obitus sui die, non tanquam terreni Iudicis, sed veluti cælestis ad requiem inuitantis Patris, acceptauêre. Depositi primum in genua, intimâ actione gratiarum cælestem Patrem prosecuti sunt, adeò, vt vultum quoq; tot supplicijs pallidum, & exanguem insolita hilaritas accenderet, magno dubio adstantium Iaponum: ne fortasse imperitiâ idiomatis ipsorum lapsi, magis de eliberatione sua exultarent, quàm mortem sibi denunciatam intelligerent. Ideòq; Gubernator est congratulationum festiuâ apprecatione attonitus, iterum eis, ad intelligendum meliùs, perlegi

legi ſententiam, hac ipſa die, executioni mandandam, iuſſit. Faſſi ſunt illi, Iaponico idiomate, plus quam ſibi intellectam eam ſententiam, tot animo gaudia, tot voluptates cumulaſſe; nihil ſibi vnquam maiori expectationi, & exultationi fuiſſe, quàm pro eo, hoc vitæ profundere extremum, à quo vitæ initia, immortalitatis promiſſa haberent; quiq;, eorum causâ, vnus è mortalibus effectus, vitam per extrema ſupplicia profudiſſet ſuam.

CAPVT XX.

Vltimo Foſſæ ſupplicio Pater Albertus, vna cum Socijs, defungitur.

ERgo eâdem die 17 Martij, ad feralis executionem edicti Iudex proceſſit. Euocati è carceribus Chriſti Athletæ, & ad maiorem contumeliam irriſionemq; (gentis more) mediâ capillitij parte depilati, & minio depicti, emacidis, ſcabieq; infectis mijciuntur iumentis: ipſi conſtricti catenis, non manus modò, ſed & ora (ne quid Chriſtianum ipſis poſſent inimicis precari) fre-

frenantibus. Sed & in abſcondito, cæleſtis Patris patebat eis ſecretum: & cauſa, cuius gratiâ potuiſſent loqui, ipſius Iudicis inſcriptione legebatur. Qui breui chartaceo ſupparo, deſcribi, & à quolibet deportari voluit ſententiam, edictumq; ſuum; conſtaret vt incolis, cuius rei gratiâ paterentur. Edicti formula hæc erat.

Imperator Iaponiæ, tulit in hoſce mortis ſententiam, eò quòd in ipſius Regnis prædicare conati ſunt. Fidem Romanam, à cuius promulgatione multis ante annis fuiſſent prohibiti.

HIs itaq; patientiæ ſuæ, & mortis teſtimonijs inſignes, oberrauêre præcipuas Nangazachi plateas, expoſiti ad irriſionem, ſibilos, & conuicia Gentilium: ad ſpectaculum cæli, encomia, & applauſus Angelorum. Ibant illi, trophæum quiſq; patientiæ, inter inconditæ multitudinis iniurias, & exſibilationes, ad montem vſq; Martyrum circumferens. Ibi primùm equis exſuccis depoſiti, inuenêre parata mortis futuræ inſtrumenta, quæ illos vitæ æternæ fuerant redditura. Quare tanquam cariſſima

ma peregrinationis suæ, & tot perpessorum laborum pignora, mercesq; toto Oceano quæsitas, quisq; pro se eligere, obuijs amplecti brachijs, premere osculis, rigare profusissimis lachrymis, quas plenum gaudij pectus ministrabat; nec antè dimittere, quàm barbarâ carnificum manu raperentur.

Sed non diu poterant auelli ab ijs insignibus, quibus mox arctiore vinculo fuerunt adstringendi. Singuli enim, primùm in terram deiecti, duobus ad inuicem se ex opposito nectentibus, strictissimè sunt alligati loris, (sinistrâ manu, ex eodem, quo supra motiuo liberâ) quæ supernè in diuersas seiuncta partes, seruirent vsui crudelitatis maiori. Mox è furcis, quæ pro numero reorum, supra singulas foueas, aquâ fetenti, & putridâ impletas, erectæ fuerant, inuersa corporis mole, è pedibus appensi demittuntur capite in foueas, ita profundè, vt supra illas vix cingulo tenus eminerent; naresq;, & os ipsum, aquis sordidis immersum, eatenus retinerent, quantum ad leue, & violentum suspirium, vix aliquid exigui spatij sufficeret. Ita demissa corpora, circumcegêre in vnum orbem designati cuiq; torto-

tortores: illiq; supernè laxi hactenus funes, strictiùs in vnum redibant nodum, donec totam corporis molem aliquatenus eleuarent: quâ sublatâ, iterum demittitur corpus, & suâ sponte intorti funes, iterum alio gyro frequentissimè circumuertentes, ita in vertiginem agunt; vt & intus cõmota præcordia, plurimùm sãguinis ad os adigãt, & illo non naturali situ, & orbiculari conuersione, tota cerebri constitutio firmitate dimoueatur suâ: totumq; corpus, multiplici, ac tædioso suspendio excarnificatum, pro constitutione, & firmitate valetudinis, in plures, aut pauciores dies superuiuat, grauissimo cruciatu, paulatim violentam mortem accersente.

Jn hoc, cum Socijs, Pater Albertus collocatus supplicio, quantum permittebat illa contrarij situs importunitas, in gratiarum actionem Diuinæ Maiestati effusus, gaudebat de obtento desideriorum fine, fruebaturq; illo patientiæ, fundendiq; pro veritate sanguinis exercitio: & ei, à cuius cælesti auxilio, in hoc vsq; tempus fidelis seruus, & constans perstiterat, adnumerabat vltimas sanguinis guttas, ipsamq; animam, illibatæ testem fidei, & victimam, pro

tot Infidelium illuminandis mentibus deuouebat. Idem fecére reliqui Patres. Quorum primus, vt Anteſignanum decebat, Pater Antonius Rubinus, & muneris, & ætatis prærogatiuâ, die 22 Martij, ſexto, poſtquam appenſus fuerat, die, præceſſit ad palmam. Secutus eundem Pater Albertus Męćińſki, 23 Martij, vbi ſeptem foueæ dies, credo amantiſsimæ ſuæ per totam vitam Dei Parentis honori, dedicaſſet. Superuixêre alij vsq; ad dies nouem; nempè Pater Antonius Capecius Italus, P. Franciſcus Marquez, Luſitano Patre, Matre Iapone, è Familia pijſsimi Franciſci Bungenſis Regis oriundâ genitus, Pater Didacus Morales, è Prouincia Manilæ. Quorum vbi fractum languore ſuſpendij vigorem, & vix leniter ſpirantem animam, eamq; extra facultatem mutandæ conſtantiæ aduertiſſet, præcipitari mortem amputatis capitibus mandauit Iudex. Factumq; id eſt die 25 Martij, tanquam inuitante Reginâ cæli ad concelebrandam Annunciationis ſuæ ſolennitatem in cælis, qui tam fideles nuntij Filij ſui, perſtitêre in terris. Extracta è foueis corpora, in foro publico, ad ludibrium, & crudelem poſtmodum lanienam ſunt expoſita.

ta. Accurrêre enim frequentes barbari, & latas, grauesq́; secures,(quas Catanas vocant) innocentibus adegêre corporibus, membratimq́; concisa, dignum immanitate suâ facinus, igni, magnâ copiâ accenso, cremauêre. Et quasi parum fuisset sæuisse flammis, residuos funeri cineres, alto immersêre Oceano, ne sicquidem, vndis, flammisq́;, virtutis suffocaturi memoriam, quæ etiam intra profundos aquarum gurgites, gemmarum instar colluceret cælo; illosq́; monstraret beatos cineres, qui semen essent regenerandis olim corporibus, ad tyrannorum confusionem maximam, ad sui voluptatem, de conspectu Diuini vultûs mirificam; cuius amore momentaneum hoc vitæ passi essent præcidi, vt æternum gloriæ pondus mererentur.

Eiusdem passionis, & victoriæ participes facti sunt duo, qui spontaneam operam obsequio Patrum addixerant, externi Adiutores. Quorum alter Thomas Iapon, multis annis Ecclesiæ, & sacrarij curâ Camboiæ perfunctus, hanc demum prouinciam apud Japones, continuandi, & coronandi hactenus positos labores, depoposcerat; primusq́; ante alios 20 Martij, è foueæ tormento,

to, victricem animam cælo reddidit. Alter è Cocincina oriundus, poſtquam duos adhuc ſocio ſuperuixiſſet dies, doloris impotentiâ, an reſiſtentiâ naturæ violentâ, manu illâ liberâ, motum aliquem edidit, quem defectionis eſſe ſignum, arbitrati Gentiles, continuò foſsâ extraxêre. Sed iam extra fomenta, & medelam, naturæ debilitas proceſſerat: eodemq; die vitâ defunctus eſt, chriſtianè & piè, vt ſenſus, & experientia communis illic præſentium teſtatur, qui motum eum, non fuiſſe profectum ab homine rationis compote, certò affirmant. Diuturnitas enim ſupplicij, turbatis ſenſibus, & capite, inuſitati ſanguinis defluxu, repleto; continere iam tum, in officio, ratione, iudicioq;, ſenſus nullo modo poterat. Et, vt quidam teſtatur Iapon, qui multis annis Nangazachi, interpretis apud Hollandos vice functus eſt, morali certitudine firmum eſſe, hunc iuuenem, cum alijs, mortem pro Fide Chriſti obijſſe; cùm iam tum, cùm depoſitus eſt, ſui compos nullo modo fuerit.

Et hunc quidem fortunatiſſimum ſortitus eſt, conatuum, laborumq; ſuorum terminum, P. Albertus Męcinſki, cum alijs

eiuſdem profectionis ſocijs, qui omnes, conſtanti confeſſione, approbauêre Chriſtianæ Religionis firmitatem, nullis annorum, temporumq; interſtitijs, nullâ regionum, mariumq; diſtantiâ conuellendam; ſed quotidie triumphare in Athletis ſuis, inuictum Imperatoris Chriſti, eiusq; Eccleſiæ, Apoſtolorum Principi Petro inhærentis, robur: contra quod, nulla Tyrannorum crudelitas, ſed nec portæ inferi, præualebunt.

CAPVT XXI.

Exultatio Chriſtianorum, de felici morte Patrum.

VT primùm Manilam, Macaumq; delatus eſt expectatiſſimus rumor: Patres nempè in Iaponiam miſſos, magnâ Chriſtiani nominis gloriâ, reſpondiſſe inuictâ patientiâ Religionis ſacroſanctæ honori; decertaſſeq; feliciter certamen illud, ad quod illos eduxerat Chriſtus, vt vincerent: difficile dictu eſt, quâ animi exultantis ſignificatione fuerit acceptus, effuſis omnibus

bus ad referendas Diuinæ Maieſtati, & Sanctiſsimæ Deiparæ Virgini gratias; quòd, cum ſuo Immaculatiſsimo Conceptu (hâc enim die, nempè 8. Decembris, 1643. hæc noua acceperunt) tam beato eos rumore cumulaſſet. Indeq; à primo diei illius veſpere, effulsêre tum Aræ omnes Diuorum illuſtrius, ad templa omnia ſupplicatio decreta ſolennior, feſtiui in templorum apicibus, veſtibulisq; accenſi ignes; qui nocti, noctem eriperent, & repræſentarent diem, multiplicato concentu; quem, & bellica, & Eccleſiæ campana æra, totâ ciuitate, perſonabant. Donec, Oriente iam ſole, ſignum ſalutandæ Diuæ Virgini, è Summa Eccleſia, campanâ maiore indictum. Simul è præſidio, & arce, ſimul ex omnibus Hiſpani Regis, quæ copioſæ aderant, triremibus, (ita diſponente Generaliſsimo Præſide, Domino Sebaſtiano Lobbo di Sylueira) quidquid erat machinarum, fuſiliumq; tuborum, grato mugitu perſonuit; commiſſo inuicem grandium tormentorum boatu, cum minori manualium machinarum canore; interpellantibus, & militariter acclamantibus Præſidiarijs: **Viuant Serui Dei.** Totum antemeridianum tem-

pus, ordinum omnium frequenti congregatâ multitudine, inter ſolennes gratitudinis conteſtationes peractum eſt, Ambroſiano ad laudandum DEVM hymno decantato publicè, actisq; DEO immortali gratijs, qui Athletas ſuos, in magnum Societatis, & Orbis Chriſtiani decus, adeò felici condecorauit victoriâ. Vbi ad veſperam inclinauit dies, ſolenniori lætitiâ triumphus Chriſti ſeruorum effulſit. Quando, eiuſdem Præſidis ingenioſâ dexteritate, præter inſignia diſpoſitorum totâ vrbe luminum decora, & crepitantium flammarum innocua ludibria, coronam repræſentauit Martyrum: totam, ad æmulationem naturalium gemmarum, artificioſo ignium colore, radiantem, quam hinc inde lambentes flammæ diſtinguerent, ſubitis quandoq; radijs circumpoſitum äërem collustrantes. Fecêre applauſum, quantum locus ille tulit, exquiſiti Symphoniarchæ, diuerſo inſtrumentorum Muſicorum concentu, tum repetito populari totius multitudinis clamore; vitam, & immortalitatem, & gloriam Seruis DEI apprecantium. Ex aduerſo, quâ Collegij patebat aditus, templiq;, ſita erat facies Patrum,

Chri-

Christi Athletarum fortissimorum, luminaribus ipsis, appositè expressa legebantur nomina; vt eorum animi ardens Christi amore feruor, non alijs exprimerentur characteribus meliùs, quàm igneis, atque flammantibus. Neq; hæc vnius diei angustijs festiuitas circumscripta fuerat: mansit toto protracta octiduo, concurrentibus vicinis populis terrâ mariq;, & in ea exultantis ciuitatis lætitia, benè cognitorum sibi antea Patrum, Operariorumq; facta, & exempla relegentibus.

Hæc, quæ de Martyrio Patrum, deq; eorum vita, scripta subijcimus; partim ab eorum, dum viuerent, lecta sunt authographis; partim post mortem diligenter peruestigata, & tum ex Hollandicis Ephemeridibus (quas magno studio Ioannes Elsdrachtus, Præses commercij Hollandici, in Japonia conscripsit) accepta; tum deinde per Patrem Andream Xauerium, & Ioannem Burges, ex aliorum, qui Giacatræ, Tunquini, & Camboiæ negotiantur, vera esse, sunt cognita. Hæcq; vt talia, P. Emmanuel de Azeuedo Prouinciæ Iaponiæ Visitator, nouâ inquisitione lustrata, & morali certitudine (vt ipse ait) cognita, Anno Domi-

ni 1644. ad Patrem Antonium Franciscum Cardin, Iaponiæ in Vrbe Procuratorem, transmisit: vt, quidquid ad humanæ fidei, certitudinem requiriri posit, tantorum videatur sufficienter expleuisse testificatio Auctorum.

CAPVT XXII.

P. ALBERTI MĘCINSKI, Animi & Corporis Effigies.

MIhi verò coronidem operi huic imponenti, reliquum est, vt Venerabilis effigiem viri, proponam hîc, non tam colorum, quàm virtutum, quibus enituit, expressam ductibus.

Atq; vt ab ea incipiam, quæ fundamentum est reliquarum, viuâ nempè, & ardenti Fide; satis illam præclarè inde deduci posse arbitror, vnde Abrahami, Mosisq; fidem, plurimùm extulit Apostolus ad Hebræos scribens, *quòd elegisset magis affligi pro populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias existimans, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*: de Abrahamo au-

autem: *Fide obtulit Abraham Isaac; cùm tentaretur, vnigenitum offerebat.* Quamuis enim amplissimis fortunæ stipatus esset donis; totus tamen firmo aliorum, quæ inuisibilia sunt, desiderio flagrauit; illam prætexens Sacrosanctæ Fidei, articulis immobilem certitudinem Reuelantis DEI: vt eam non modò confiteri coram hominibus non erubesceret; sed eum confessioni suæ campum inquireret, & à Superioribus suis flagrantissimis precibus extorqueret, vbi & contrarietas obijcienda fuerat periculosior, & quod humanæ rationes non euincerent, apud barbaros, Fideiq; hostes; idipsum sanguine, &, quæ omnibus alijs carior est, vitâ, per supremos cruciatus extinctâ testaretur. A qua firmiter menti impressâ certitudine, secuta est resolutissima quædam, à seipso, auxilijsq; humanis remota, in DEO autem radicata, & fundata fiducia, quâ, homo imbecillâ valetudine, educatione tenerâ, tot se credidit periculis, mari terrâq;, duodecim annorum spatio, mente, animoq; intrepido perferendis. Quam in eo confidentiam laudauit singulari præconio Pater Franciscus Roas Societatis IESV, tum temporis in Iaponia Prouincialis, ad-

ductis in testimonium ipsius Patris Alberti literis. Verba illius sunt 1646. 14 Augusti, literis ad Patrem Procuratorem Poloniæ expressa. Vota sua in DEO vno penitùs reponere, in Venerabili Patre, præ cunctis animi ornamentis eluxit; quæ in hac, quam hîc appingam, epistolâ ad me datâ ex Cagaxana arce Philippinarum extremâ orâ, singulariter emicat. Quam, inter pretiosissima Patris Alberti in Iaponiam abeuntis monumenta, pietate, & obseruantiâ in futurum Martyrem adductus, accuratius seruabam.

Pater Prouincialis Francisce à Roa.

Pax CHRISTI.

CAgaxanam oram attigimus, vt lunæ decrementa, nauigationi nostræ infausta declinaremus. DEVS benè faciet Reuerentiæ Vestræ, eo quòd me iuuerit in adeundo vltimo desiderabili bono meo. Et Dominus protexit nos dexterâ suâ; vnde speramus, illum adiutorem in certamine nostro. Et quamuis me terreant peccata mea; confortor in misericordia eius; scio cui credidi. Ascensor cœli, auxiliator meus; & qui triumphauit in pusillis, paruulis

&

& puellis, triumphabit in me miſero peccatore. Non illi hoc nouum, nec vltimum: obedio voci Domini, ipſe perficiet opus ſuum. Virgo Deipara tota ratio ſpei meæ; Spiritus Sanctus promiſit ſe affuturum: vnde, cur timeamus, non eſt; ſed, in humilitate noſtra, offeramus hæc moritura corpora, in holocauſtum ei, cui debemus omnia. Vale mi humaniſsime Pater, precare Dominum pro agone meo. Ego memor tui, ſi dignus inueniar conſpectu Domini mei. Cagaxanæ 22 Iulij, 1642. Veſtræ R̃ñtiæ ſeruus ex corde, Albertus Męcińſki.

Patuit eadem in DEVM fiducia, cùm difficilia quæq; aggredi, Religionis Chriſtianæ promouendæ, aut ſuſtinendæ gratiâ, non dubitaret; cùm ſe diſcrimini vitæ vltimo, in obſequio, contagioſo morbo laborantibus, addiceret; inter prædonum, & Hæreticorum iam intentatas minas, iam promiſſa, & deſtinata munera, nunquam fluctuaret dubius; ſed adhibitâ longiore aduerſorum tolerantiâ, expectaret opem, auxiliumq; ab alto; quæ illum è medio turbinum eriperet, & ad deſtinatum, quâcunq; viâ, deduceret brauium cæleſtis vocationis. Iam quantæ fuerit fiduciæ, illa ad

mortem ſeſe offerentis promptitudo, & alacritas! nullus vt amiciſſimi hoſpitis conclaue, maiori quiete, & confidentiâ ingrederetur, quàm ille ergaſtulorum, carcerum, mortisque ipſius aſpiraret extrema. Quod ſatis clarè ſuperioribus exemplis, ab illius profectis manu, expreſſum eſt.

Erga DEVM charitas enituit, in rerum expoliatione omnium, quas ille (rebus vt magis, quàm verbis profiteretur amorem,) Diuino perenni cultui, Fundatione Collegij Cracouienſis inſigniter auctâ, dedicauit. Totumq; præterea, quem adeò vaſtis peregrinationibus, & nauigationibus peragrauit orbem, non alterius lucri ſpe adijt; quàm vt in creatoris ſui amorem, omnes, quos poſſet, homines, verbis, exemplis, obſequijs pertraheret: vt quoties ei de DEO, rebusq; Diuinis, ſermo inferendus eſſet; non eum alio, quàm amoris inſigniret nomine, amantiſſimum Dominum ſuum compellans, cuius amore, pati, & tolerare omnia, plus quàm dulce ſibi videretur. Cùm adhuc in meditatione petendæ Iaponicæ miſſionis eſſet, eiusq; rationes, cum eo, quem & ſpiritus ſui Patrem, & amicum confidentiſsimum habuerat, familia-

riter

riter conferret; ille, vt hominis intentionem, feruoremq́; experiretur profundiùs, diſſuadere Miſsionem hanc, adductis in contra rationibus, cæpit. Mox vbi firmiſſimè conſtare illi propoſitum aduertiſſet, ſaltem, vt propiora, mitioraq́; amplecteretur, inſtabat. Eſſe tot alios, & Noſtro Orbi propiores, & laborum, patientiæq́; feraces campos; eſſe Indias, aliasque Occidentis Prouincias, vſu, & conſuetudine Chriſtianitatis manſuetas, quibus nauaret ſpiritualem operam, magno ſuo ſolatio, nec minore tot animarum auxilio. Iaponiam autem expoſcere, quid eſſet aliud, quàm celeratam ambire mortem, & præcidere, immaturo obitu, tot annos, qui iuuandis fidelibus, infidelibusq́; optimè potuiſſent collocari? Sed ad hæc ille, ſolitâ vultûs conſtantiâ, reſpondit. Ideò præ omnibus alijs, ſolam mihi deligo Iaponiam, quòd certam mortem, cum exquiſitis tormentis, manere me in ea confidam. Neque enim propoſitum mihi eſt, ita peregrinari in Indias, vt cum laborum prouentu, aliquam interdum commoditatem, ſolatiumq́; expectem (quod iam ad Chriſtianam charitatem, formatæ regiones fortaſſe miniſtrarent,)

rent,)

rent,) ſed vt amore Saluatoris mei, qui pro me pati dignatus eſt, aduerſa quæq;, ſine vllius condimento requietis, patiar, & moriar. Hæc illius verba quàm integrum, purumq; DEI redoleant amorem, ab omni proprio commodo, & lucro alienum; quilibet facilè intelliget.

Comes indiuidua charitatis Pietas eſt, & Religio, quæ cùm vbiq;, tum in recolendis Chriſti cruciatibus, potiſsimum apud Patrem Albertum obtinuerat locum: nec aliter putabat ſe tanto beneficio ſatis gratum fore, niſi & ipſe, violentâ morte (vt ipſe loqui commune habuerat,) ſanguinem pro eo funderet, qui prior ipſe pro eo fudiſſet ſuum. Ideò, ne vnquam eius ſibi memoria recederet, ſed altius infixa cordi ipſi hæreret, Chriſti è cruce pendentis effigiem, ebore elaboratam, è collo penſilem, vbi vbi locorum eſſet, detulit: quam deniq; ipſe moriturus, tanquam vnicum ſuum in terris amorem, Collegio Cracouienſi tranſmittendam, deſignauit.

A Filio proceſsit deuotio ad Matrem, erga quam tenerrima quædam Patris deuotio fuerat, vt ab illius amantiſsimæ Parentis ſuæ ope, & auxilio, totam pendere vitam

tam ſuam, & ipſe certò ſibi perſuaderet, & alijs coram libentiſsimè fateretur. Innui ſuperiùs aliqua; addo nunc, quæ Pater Ioannes à Buera, deſignatus in Mexicum Viſitator, intimè Patri Alberto addictus, pro ea, quâ cum Patre vtebatur, confidentiâ, de his à Beatiſsima DEI Parente impetratis beneficijs intellexit, obtentâ præſertim Syngraphâ, in quam ille hæc omnia memoriæ, & gratitudinis ergò collegerat. Fuit autem huiuſmodi.

Beneficia quæ mihi fecit miraculoſa, Beatiſſima VIRGO DEIPARA.

1. *LVblini dum darem operam literis, apud Patres Societatis, & aliquam deuotè recitarem orationem tempore ſacri, in honorem Beatiſſimæ Virginis; apparuit mihi in ſomnis B Virgo, quaſi S. MARIÆ Maioris, porrigens mihi pomum aureum. Inde continua beneficia conſecuta ſunt, & maxima conſolatio. Beneficium hoc, vernaculâ Patri Alberto linguâ conſcriptum erat, ſtudioſiùs contendi, vt verborum ſenſum latinis redderet eloquijs; verùm induci haud potuit Dei Famulus, vt ea ſemel euulgaret, quæ, vt ipſe autumabat, nullius erant momenti.*

2. *Peſſimè valens in domo matris meæ, obtinui valetudinem, voto ad Beatiſſimam Virginem de Monte Claro: vbi poſtea exiſtens, in Societate fui.*

3. Ter-

3. *Terriculamenta Dæmonum, ipsius ope euasi in quadam domo.*

4. *Postquam è Polonia discessi, liberauit me à latronibus in sylua miraculosè, & socios in Pomerania, non procul à Stetino.*

5. *Aliâ vice à latronibus in Vestphalia, qui iam venerant in domum sitam in medijs syluis, vbi pernoctabamus. Fassus est Pater, grassatores illos viarum, dum præ manibus præda esset, semel recitato Sub tuum præsidium, subitò timore perculsos, ad interiora montium trepidanter aufugisse.*

6. *Posthac liberauit me ab Hæreticis, & impediuit ne studerem in Academia Hæretica ciuitatis Sedanensis in confinio Galliæ. Perinde liberauit me à multis, & maximis occasionibus peccatorum.*

7. *Illa impetrauit mihi quoddam subsidium, ad vocationem implendam, præter spem.*

8. *Miraculosissimum verè fuit beneficium, quod mihi accidit nocte eunti Venetias, Patauio, non procul ab ostio maris Adriatici. Siquidem per tenebras ambulans, incidi in flumen Brentam dictum, vndiq; altissimis montibus interclusum, & portis clausum, instar rotundi putei, vbi iam deerat omne humanum subsidium. Sed voto facto B. Virgini cuiusdam tabellæ argenteæ, miraculosè in maximo frigore, (fuit enim 14 dies Decembris, 1619.) nataui in lacu profundissimo; donec extractus fui, multo cum labore semimortuus. Omnes quasi rediuiuum admirabantur. Nam locus quasi impossibilis, talibus cum circumstantijs, quæ mihi acciderant, ad euadendum; periculum enim erat ne simul cum aqua in mare deijcerer.*

9. *Alia*

9. *Aliâ vice impetraui aliud beneficium à Beatissima Virgine temporale.*

10. *Demum semel facto voto, ni fallor, destinaui mihi diem futuri beneficij, in quodam negotio temporali: eodem die recepi illud, quo destinaueram.*

11. *Per ipsius intercessionem liberatus sum, à quodam inimico capitali, & ad vocationem implendam coactus quasi.*

12. *1622. ni fallor, semel manè inseruiens Romæ Sacro, ad Altare B. Virginis è Strada, in Professorum Domo adhuc Nouitius, è regione Capellæ Beati Francisci Assisinatis, & petens, vt illa mihi impetraret gratiam Martyrij, accepi nescio quem interiorem sensum, certitudinem quandam mihi promittentem, hanc gratiam me aliquando habiturum. (Euidentia quædam in intellectu clara fuit, vt ipse Pater Albertus fassus est.)*

13. *In die vero Beatorum Petri & Pauli, maximum à Beata Virgine accepi beneficium. Nam cùm petijssem à Reuerendo Patre Generali, in Iaponiam Missionem, ille verò commendato Deo negotio, nondum se habere hanc inclinationem sensit; ab omnibus desperabatur mea missio, & à meipso. Sed visitando Beatum Paulum extra muros Romæ, ante Beatæ Virginis imaginem, ante quam Sanctus Pater noster Ignatius, cum reliquis decem Patribus, vota sua fecerunt, oraui; offerens me ad hanc Missionem, & rogans ab illa gratiam: recessi plenus confidentiâ, & securitate, quòd id obtinere deberem. Ac proinde, eo ipso die, venit ad me quidam Pater Lusitanus Vega, qui Reuerendum Patrem Generalem, concessisse*

se

se, & promisisse meam Missionem cuidam Patri, qui pro me rogabat, mihi nuntiauit. Quod ipsum etiam alio die à Reuerendo Patre Generali oretenùs accepi. Hoc verò non poterat esse, nisi miraculosum, ex gratia, nunquam satis laudatæ, & benedictæ Dominæ meæ, & Matris misericordiarum: ipsi cum Filio eius, à nobis mancipijs ipsius, gloria, Amen.

14. *Venetijs dum essem iam Religiosus, propter malè scriptum testimonium sanitatis, iam debebam ablegari ad 40. dierum mansionem, in locum, vbi periculum occurrebat, ne agnoscerer pro Iesuita; & fuit iam causa ferè desperata, nisi Beata Virgo adiuuisset. Cui vix me commendaui, ecce vocor ad Præsidem, & liber fio.*

15. *In die Annuntiationis, ex lectione vitæ Fratris Ioannis Berchmans, notabiliter commotus fui ad sanctè viuendum, & mutandi vitam.* Hucusq; è P. Alberti libello descripta hæc fuêre. Quæ sequũtur, per eundem supra nominatum Patrem, à Patre Alberto audita, & literis ipso conscio cõsignata.

1. *Societatis ingressum à Beatissima impetrauit, eò modo, quem in loco ipsius ingressûs posui.*

2. *Excursio in Iaponiam, à Deipara, in D. Apostoli templo extra mœnia, impetrata. Eiusdem Sanctissimæ Matris Purificationis festiuâ luce, à Patre Visitatore, de Iaponica sibi concessa excursione, optatissimas literas accepit, diebusq; Beatæ Virgini Sacris, euentus felicissimi accidêre.*

3. *Cùm ab Hollandis captus, S. MARIÆ à populo spoliaretur venustissimâ imagine, à Nauis Duce Diuam suam deprecatus est; sed ab Hæretico reiectus, Beatam*

tam Virginem, oratione Angelicâ, vel ſemel recitatâ, interpellat; cum ecce ab Hollando aduocatus, imagine potitur ſuâ.

Calculo ſemel laborabat, eò redactus vi dolorum, ac mali pertinaciâ, vt medicamina cuncta, morbi malignitas repelleret. Dum tantillum quieti ſe dat, in ſomnis admonetur, vt cucurbitulam adhibeat. Euigilans imperanti obtemperat; lapillos quàm plurimos facili negotio expulit. Exin apud Medicinæ peritos, inuenit hoc curationis genus, ſolenne ac præcipuum eſſe, ad tanti morbi leuamentum.

His quam plurima acceſsêre beneficia, eluſæ, æquatæq; difficultates, ſuperata pericula, quibus Deus Optimus Maximus, cunctis illæſum integrumq; ſeruauit.

Hæc omnia prædictus Pater Buera, Patri Franciſco Roas detulit; ille, auditâ felici Patris Alberti morte, ad aliorum excitandam imitationem, vulgauit, additâ methodo deuouendi ſe, obſequio eiuſdem Diuinæ Matris, à Patre Alberto ſcriptâ in hæc verba.

OBLATIO.

Cupientis amplecti deuotionem, & patrocinium Sanctiſſimæ Virginis, & peculiari Oratione, veluti ſingularem Dominam, & Aduocatam recipere.

SAnctiſsima Virgo DEI Genitrix MARIA, Ego N. licet vndequaq; famulatu tuo,

& vt in numerum ſeruorum tuorum recipiar, indigniſsimus: fretus tamen pietate, ac benignitate tuâ, & impulſus tibi ſeruiendi, & placendi deſiderio, firmiter ſtatuo, & propono, me tibi, ex hoc tempore, ſemper obtemperaturum, & fideliter famulaturum, atq; vt ab alijs tibi ſeruiatur, pro viribus meis effecturum: & eligo te hodie in Aduocatam, Dominam, & Matrem, coram Beatis Angelis, Michäële, Gabriële, & Raphäële, & Angelo meo Cuſtode, & Sanctis, Ioachim, Anna, & Ioſeph; Joanne Baptiſta, Petro, Paulo, & Ioanne Euangeliſta, & curia cæleſti vniuerſa. A te ergo Mater pijſſima, per IESV Chriſti Sanguinem peto ſuppliciter, vt me in ſeruum perpetuum admittere, & in numerum tuorum deuotorum adſcribere digneris, & adſis in actionibus meis, gratiamq; mihi impetres, vt in cunctis cogitationibus, verbis, & operibus, ita me geram, vt nunquam tuos, Filijq; tui oculos, offendam; & rogo, vt memor ſis mei; nec me deſeras in tempore mortis meæ, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Hâc

Hâc pietate occupato animo, quid iam graue esse poterat, aut inuium, quo velox se charitas non protenderet. Mira quædam, & vix humano iudicio, & apprehensioni possibilis est, Deo dicatorum hominum resolutio: vt sicut proprium est rationali homini, competenter rationi, & naturæ viuere; ita illis, qui altiore reguntur Spiritu, Deumque supremam actionum suarum regulam statuunt, tantum se rebus subducere humanis; vt ordinarios casus, & fortuitos euentus, non aliter accipiant, quàm cælum accipit tonitrua, & fulgura. In hunc proinde rerum omnium euecti apicem, Deum, auctorem rerum omnium, vbiq; vident, colunt, adorant. Neq; est tam vilis, aut humana conditio, aut muneris, & designati obsequij extrema humilitas, ad quam illi promptissimo non aduolent affectu, & tanquam summi boni, sui effigiem non apprehendant. Et inde mihi pensanda videtur Patris Alberti demissio, & humilitas, quâ instructus, leue habuit, ad vltima obsequia extremâ valetudine laborantium, demitti; artes, sibi ante vix primis initijs cognitas, reuocare ad praxim, linguas vsui difficiles, graui iam per ætatem memoriæ inculcare; descendere ad remigum, & nauticæ plebis lauandas, eluendasq; sordes; quia Christum leuare, Christum in animis parturire infidelium, Christi odore, alios contrarios suffocare odores, se credebat. His autem ex omnibus, nihil tribuere sibi, Deo adscribere omnia. Extat huius demissionis sui, exaltationis autem gratiæ Dei, præclarum Canticum, ad in-

ſtar Cantici Mariani conſcriptum; quod ille è Polonia, ab amico ſuo Patre acceptum, Patri Ioanni à Buera communicauerat, quod ſubijcio.

CANTICVM CREATVRÆ, Gratiam DEI exaltantis.

Vilificat anima mea meipſum.

Et deſperauit Spiritus meus in nihili contemptibili meo.

Quia nihil ſum, propter mendicitatem naturæ meæ; ecce enim ex hoc, iure contemnent me omnes generationes.

Quia nihil prorſus ex me poſſum; & nulla eſt ſufficientia mea.

Sed miſericordia Dei ſum, quidquid ſum; & ex me nihil boni poſſum.

Fecit Deus bonitatem miſeriæ meæ; ſuppleuit defectus egeſtatis meæ.

Extraxit me de lacu nihili mei, & donauit me totum mihi.

Exaltantes gratiam ſuam ditat Dominus*; ſpernentes autem dimittit inanes.*

Curat me vt nutrix infantem ſuum; nouit omne imperfectum meum.

Sicut ab ipſo ſum totus, quod ſum: ſic & ab illo ſolo ſpero cuncta bona mea.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vir-

Virtutum catenam reliquarum, accuratiùs hîc pertexere neceſſe, non erat: ſatis illæ expediunt ſeipſas, tali poſito principio. Adeò excellentes prodromas, non inuitæ ſecutæ ſunt reliquæ; cùm vix poſſibile ſit, vnius perfectâ poſſeſſione virtutis, alias ſimul non conſequi.

Domicilium verò adeò Inquilinarum optimarum, hoc fuerat.

PAter Męćinski ſtaturâ mediocrem modicè ſuperabat, vultu ad longitudinem aliquantùm protenſo, ſed planâ fronte, viuacibus oculis, naſo aquilarum in morem, medio protuberante, & decliui, ſubfuſcus, & aduſtus faciei color, tritici maturi ſimilitudine, crinis niger, totumq; capillitium, naturæ ductu, criſpum, & retortum. Cæterùm vultûs amænitas, & procedens ab animo, per affabilem ſermonem, candor, aptus erat, qui non imperato modeſtiæ affectu, omnium cordibus, ſingularis inſtillaret ſenſum pietatis. Faciat tantorum Princeps, & Promotor Heròúm ſuorum DEVS, vt ad tanti exemplar Patris, aſſurgant ſimiles plurimi, qui medullitùs, quâ poſſunt contentione, tueantur hanc, quam nacti ſunt Iaponicam Spartam; illamq; promouere, & tueri ambiant, quantùm Sanctiſſima DEI voluntas, quantùm Diuinæ gratiæ ſuaues, & efficaces motus virium ſuggeſſerint.

A. M. D. G. V. I. C. H.

INDEX CAPITVM.

Caput I. P. *Alberti Mecińſki Maiorum ſplendor, & Jlluſtres natales.* fol: 11.

Caput II. Educatio, & Studia. fol: 17.

Caput III. Adeundæ Religionis propoſitum, & impedimenta. fol: 20.

Caput IV. Religionis ingreſſus, & prima Religioſæ vitæ rudimenta. fol: 29.

Caput V. Reuertitur in patriam factus Soc: Ieſu Religioſus, & ſtudia Philoſophica proſequitur. fol: 36.

Caput VI. Fratris natu minoris Stanislai mors, noua circa Religioſam vocationem turbatio, Bonorum diſpoſitio. fol: 41.

Caput VII. Curſu Philoſophico finito Romam abit, indeq; in Luſitaniam. fol: 49.

Caput VIII. Eboræ Theologica ſtudia proſequitur, Primam Diuinæ Maieſtati offert Hoſtiam, Indicum iter aggreditur. fol: 60.

Caput IX. Jterum reuocatur in Patriam, fol: 63.

Caput X. Jterum Indicum aggreditur iter, ſed contrariâ tempeſtate arcetur. fol: 70.

Caput XI. Nauigatione Indicâ, periculis, & patientiæ pleniſſimâ perfungitur, & Goam vſque ſanus peruenit. fol: 74.

Caput XII. Japonicum iter aggreſſus ab Hollandis intercipitur. Captiuitatis huius miſeriæ, & merita. fol: 87.

Caput XIII. Æger à captiuitate Formoſam Inſulam deſcri-

describit, item P. Marcelli Mastrilli gloriosum apud Japones Martyrium, & P. Andreæ Rudomina felicem apud Sinas obitum. *fol:* 103.
Caput XIV. *Insulæ Formosæ Descriptio.* *fol:* 108.
Caput XV. *P. Andreæ Rudomina vita, & obitus apud Sinas.* *fol:* 113.
Caput XVI. *P. Marcelli Mastrilli martyrium in Iaponia susceptum.* *fol:* 127.
Caput XVII. *Itineris Iaponici Occasio, & apparatus.* *fol:* 134.
Caput XVIII. *Japonico littori exponuntur Patres, & continuò agniti, Iudici sistuntur. Eorum interrogatio, tormenta, & mors.* *fol:* 1[illegible]9.
Caput XIX. *Describitur tormenti aquæ genus, eiusq; experimentum à Martyribus susceptum.* *fol:* 167.
Caput XX. *Vltimo Fossæ supplicio P. Albertus unà cum Socijs defungitur.* *fol:* 171.
Caput XXI. *Exultatio Christianorum de felici morte Patrum.* *fol:* 178.
Caput XXII. *P. Alberti Mecinski, Animi & Corporis Effigies.* *fol:* 182.



VITA
R. P.
PETRI SKARGA,
POLONI
é
SOCIETATE JESV.



PROTESTATIO AVTHORIS.

APostolicum decretum anno 1625. editum, anno verò 1634. confirmatum, iuxta eiusdem declarationem, de modo scribendi vitas hominum sanctitate illustrium, integrè, atq; inuiolatè in hac scriptione vitæ R. P. PETRI SKARGA è Societate IESV, Religioso obsequio seruaturus, protestor non me velle cultum, aut venerationem aliquam illi arrogare, vel ei famam, & opinionem sanctitatis comparare, aut augere, vel gradum quempiam facere ad solennes aliquos ipsius in Ecclesia honores: sed omnia à me ita referri, vt non plus illis fidei, quam quæ humana est, adhiberi velim.

APPROBATIO.

QVem Chrysostomum suum habuit, habetq; Polonia R. P. Petrum Skarga è Societate IESV, Sereniss. olim Regum Poloniæ, plus triginta annis Ecclesiasticum Oratorem, quem fortissimum Athletam Religio Catholica hæresibus profligandis experta est, qui singularibus scriptorum monumentis, ac inprimis sanctitatis religiosæ studiis gloriosam, in memoriâ hominum, sibi propagauit vitam; eius vita à pio authore collecta, ac descripta, vt publicæ vtilitati in lucem prodeat, facultatem concedo. Cracouiæ, 2. Aprilis. A. D. 1661.

Hyacinthus Liberius, I. V. D.
Præpositus SS. Corporis Christi
Canonicorum Regularium, Librorum in Diœcesi Cracouien:
Censor.

Peril-

Perillustri & Magnifico Domino,

D. STANISLAO SKARSZEWSKI, SAMBORIENSI, & DROHOBICENSI CAPITANEO.

Bonis faustisq; frui.

B*Reuis istæc narratio, quæ natales, & virtutes* PETRI SKARGA *Societatis* IESV *persequitur, Tuis sese luminibus, & affectibus insinuat,* PERILLVSTRIS SKARSZEVI; *tantum ausura nunquam, nisi singularis humanitas Tua, vel alliceret ingenuam, vel verecundam inuitaret. Quamquam habet etiam ab indole fidentiam ipsa suam, eius vtpote Viri res gestas complexa, cuius mores, non ambiguam apud Polonos prædicationem, at verò venerationem manes, iam olim repererunt. Ecquis enim hoc Regno peregrinus adeò sit, penes quem, sin minùs alia, celeberrimi profectò Ecclesiastæ famam,* SKARGA *hucusq; non retineat, transmittendam posteris, & sæculis producendam? Jam, pietatem, facundiam, grauitatemq; factorum, & dictorum, plebs rudior haud ignorat; adeò quidem vulgò quoq; innotuit, vel indè nequaquam vulgaris. Principum, ac Procerum animos ad Diuinas leges flectere; fas, & æquum, præceptis, atq; monitis formare, & firmare; sceleri obesse omni; perennis labor* PETRI, *dum in viuis ageret, fuit. Nec linguam duntaxat, totis decem lustris, exercuit, sed insuper pennam, libris, ad sacram eruditionem, piamq; Catholicorum vtilitatem, in lucem missis. Profligata, validio argumentorum robore, Sociniana in Moscorouia*

 impie-

impietas, Caluiniana fatuitas in Volano, in sexcentis sectatoribus Lutheri peruersitas, Schisma in Roxolanis Graecum. Illi Metaphrastes, Lipomanus, Suriusq; debent, quòd Diuorum acta Lechicè loquantur; illi Caesar Cardinalis Baronius Ecclesiasticorum mirè concinnam Annalium Synopsim, solidumq; compendium refert; illi coetus misericordiae, Pietatis montes, & Lazari Societates, sua tribuunt initia, ac incrementa. Illi Parochiae popularium institutionem; militum, ac Heroum normam praescriptam, castra; Status, & Ordo summusq;, imusq;, ac medius, salubrem illi doctrinam habet acceptam. Omnibus omnia factus est, atq; hactenus in lucubrationibus superstes, facit. Hunc igitur talẽ tantum, vt plurima dissimulẽ PETRVM SKARGA, *Tibi praelũ exprimit, animo meliùs expressum, ac impressum Tuo. Nihil ibi sepia denigrat; sed puris, ijsdemq; viuis coloribus, quos Tuae mentis Candor ministrat, integra Viri verè Apostolici species signata patet. Reperit apud Te pretiũ, locumq; ea dignitas, quam, nemo licèt vilem censeat, rarus tamen aestimat è merito, & conseruat. Neq; inania sunt in Te probitatis lineamenta; cùm non admirationem modò, verùm & imitationem in pectus Tuum inducant. Non satis est, venerari; quin aemulari pergis, quicquid in homine Religioso Tibi congruum videtur: atq; vt gloriam egregio veritatis, virtutisq; adstruas praedicatori, quae docuit ore quondam, nunc effingis opere, & ad caelestis sapientiae ab ipso propositae praeceptiones, vitam ipse componis. Cùm itaq;* SKARGA *Tibi familiaris, & domesticus sit, quem interno complecteris recessu, manibus excipe benignis, ac beneuolus pertracta: simul gratum habeto pectus, Tibi,* PETROq; SKARGA *aeternùm addicti.*

Na-





Atus est Pater PETRVS SKARGA in ea Poloniæ Prouincia, quam Masouiæ Ducatum dicimus, Parentibus Equestri Ordine illustribus, Patre MICHAELE POWĘSKI, Matre ANNÂ SWIĘTKOVIÂ. Primis in pueritia annis, bonâ Parentum accedente educatione, pietatatem coniunxit literis: verùm his breui vitâ functis, Pater enim Anno 1544. Mater 1548. excesserat, perrexit ille tamen in vlteriori contentione studiorum, quibus in oppido Grodźiec, ad vsq; 17. ætatis annum immoratus, non pœnitendam locauit operam. Cracouiam deinde, Poloniæ Metropolim, Vniuersitate Academicâ, & alumnorum frequentiâ florentem, annum iam agens 18. se contulit: & quâ erat ingenij felicitate, laborisq; pertinaciâ, intra duos annos publicum Sapientiæ testimonium (primam Lauream vocant) assecutus est. Mansit exinde ea semper, PETRI in animo, erga Cracouiensem Academiam gratitudo, & beneuolentia; vt nihil vnquam non honorificum de Academicis rebus dixerit, scripseritq;: singulari id, illâ etiam diligentiâ testatus, quâ res gestas

B. CANTII, eiusdem Academiæ Doctoris Theologi collegit; & vtroq; idiomate typo impressas, publicæ lucis fecit. Periculum postmodum nauatæ literis operæ facturus, Varsauiam (quæ vniuersalibus Regni Comitijs, Regiâ sede, situq; ac munitione nobilis Poloniæ ciuitas est) aduocatus, gymnasij regendi curam suscepit. Rexitquè industriâ singulari, biennio integro; donec perspectâ Viri indole, ac moribus, Illustrissimus D. ANDREAS TĘCZYŃSKI, Castellanus Cracouiensis, primus Senator Regni, ad aulæ suæ translatum obsequia, Filij IOANNIS, qui tum iam Viennæ erat, adolescentiæ præfecit. Quo munere egregia cum laude perfunctus, intermissis tandem literarum studijs, innatâ quâdam ad eloquentiam facundiâ, moribusque optimè ad virtutem compositis, facilè gratiam piæ memoriæ Reuerendissimi D. PAVLI TARŁO, Archiepiscopi Leopoliensis promeruit. Hic, licet nondum maturum annis iuuenem, intra paucos tamẽ dies, simul Subdiaconum, & Concionatorem, breuiq; Sacerdotem, dispensatione iuris impertitâ fieri voluit: & quò sustinendo oneri par esset auctoritas, & sustentatio, Præposituram Rohatinensem addi-

addidit. Nouo igitur Sacerdotij ministerio auctus PETRVS, elaborare sedulò, præsertim in concionib⁹, crebrò, feruenterq́; pro suggestu dicendis cœpit; effecitq́; magno, & audiendi desiderio, & Auditorum fructu, vt præter superiora, Metropolitanæ Leopolitanæ Ecclesiæ Canonicus, simulq́; Concionator crearetur. Sed ne, crescentibus oneribus, debiliores humeros, diuino disseminando verbo, ad quod se singularibus stimulis adigi cælitùs sentiebat, adferret, continuò alleuiandos duxit, Præpositurâ Rohatinensi à se relegatâ. Ita iam expeditior factus, animarumq́; lucris inhians, pro concione frequentissima dehortari à vitijs, virtutisq́; amorem auido Auditori instillare: extra concionem verò, tam priuatis allocutionibus, quàm publico exemplo præire ad pietatem exorsus est; vt Canonici, & Concionatoris dignitatem, etiam carcerum, ac Xenodochiorum frequenti inuisione, reorumq́; ad supplicij locum humili deductione, (vniusq́; præsertim sacrilegæ mulieris, quam, Christi de cruce pendentis effigiem manu præferens, ad rogum vsq; comitatus est,) cum magna populi admiratione, & ædificatione honestauerit.

Mouit religioſa adeò viri pietas, antiqui hoſtis verſutiam. Quare optimi Patris benè iacta vitæ Apoſtolicæ initia, conuellere omni conatu cupiens, vbi multas tentationum machinas, ex inſidijs, & occultè ſtructas, altiori animo, cælitùsq; inſtructâ mente eludi vidiſſet; palam omni rabie oppugnaturus, triennio integro, ſub ingentis canis ſpecie, ad terrorem, viſibiliter comparuit; & quos adeò in prædicando Euangelio exercitatos, celeresq; aduertebat pedes, totâ mole corporis preſſit, tenuitq;. Sed PETRVS Diuinâ fretus ope, ab eiuſmodi pedicis agilior, ad anteriora extendens ſeipſum, quacunq; aut maiorem lucrandi animas ſpem, aut euidentius periculum imminere Eccleſiæ aduertiſſet, accõmodare linguam, adhibere piæ exhortationis ſubſidia, vitâq; exemplari omnem conabatur impietatem debellare. Et primis quidem hiſce laboribus fauere Diuina Maieſtas viſa eſt, vt eum ad maiora, quæ parabat, alliceret. Inter multas animas, quas tum verbo, tum exemplo lucratus eſt, etiam Palatina quædam Ruſſiæ fuit; cuius obſtinatam in errore Schiſmatico pertinaciam, cùm, multis demum rationibus, & monitis PETRVS fregiſſet,

gisset, cessit illa propositæ veritati, & Sedis Apostolicæ obsequio est restituta.

Hæc, dum maiori in dies contentione crescunt, & quotidianis progressibus res Christiana augetur, noua quædam PETRI animo lux cælitùs affulsit. Inaudierat non multis antè annis conditam Societatis IESV Religionem, magno Ecclesiæ bono in vinea Domini, non segniter laborare; & (quantum quidem nosse tum poterat,) eius vitæ institutum proprijs conatibus mirificè conuenire. Didicerat tum aliorum sermone, tum frequentibus literis, illam Sociorum potissimam curam esse, suæ, proximorumq; saluti incumbere; nullis, nisi quibus & orbis ipse definitur, terminis, industriæ suæ fructus claudere; omne genus hominum, quà diuini prædicatione verbi, quà expiatione peccatorum salutari, ad DEVM trahere; Hæresi, Fideique hostibus, doctrinâ contraire: quorum omnium, si non exactam iam messem, at prima semina in se viderat; & his ipsis accendi desiderium maius sentiebat. Verùm in exequendo tardior, quotidianis occupationibus, in longiùs faciendorum memoriam reijcientibus, potiùs desiderare agenda, quàm agere

desiderata videbatur. Cùm interea accidit SIMONEM WYSOCKI, (postea Societatis IESV Theologum, & virum in Polonia concionum feruore, animarum zelo, translatisq; in linguam vernaculam pluribus ad Spiritum pertinentibus libris, satis notum) in deligendo vitæ statu, multis anxietatibus perturbari, in eoq; præcipuè hærere, quænam sibi præ cæteris Religio amplectenda esset. Hic, vt sibi consuleret, PETRVM adijt, vt pote quem animi sui ducem elegerat, quemq; communis opinio prudentem, diuinoq; spiritu plenum censebat: exposuit primùm omnem consilij rationem: quidquid verò optimum sibi prospiceret, vt decerneret, petijt. PETRVS, per orationem, re cum DEO communicatâ, respondet, in Polonia nullam se eiusmodi Religionem reperire, quæ ipsius propositis, & naturali corporis constitutioni apta videretur: esse in Germania, Italiaq; Religionem Societatis IESV, magno Ecclesiæ commodo exortam, cuius si alumnus fieret, videri non pœnitendam electionem facturum: deliberaret interea, sequentiq; die ad se veniret: se pluribus ea de re cum Diuina Maiestate acturum.

Egresso

Egresso SIMONE, PETRVM potentioribus stimulis aggreditur DEVS. Quid tu, inquit, consulis alijs, quod ipse non facis? Si huius complexioni, & talentis, apta hæc Religio, quare & non tuis? Ergo Tu alijs monstrabis viam ad salutem, ad quam ipse vocaris, nec progrederis! Hæsit PETRVS, dulci illo, fortiq; diuinæ vocationis ictus telo: & simul omnes mundi spes deposuit; simul Religionis ingressum, firmo constantique animo proposuit. Redit ex condicto SIMON, cui totam deliberationis suæ seriem, enarrans PETRVS, se comitem itineris, sociumq; vitæ futurum, Romam vsq; pollicetur: discederet interim, rebusq; compositis, determinato tempore Leopolim veniret; se quoq; gnauiter idem facturum, modò propositum hoc suum (quò liberiùs sine interpellatione amicorum omnia ageret,) omninò nemini propalaret. Quod propositum; factum: Singulari gratiâ diuinâ affulgente, omni negotiorum mole distractâ, facultatibus pro ratione distributis, magno Ciuitatis, totiusq; Capituli desiderio, Romam cum SIMONE profectus est. Quoq; iter hoc conficeret celeriùs, eques illud peragere instituerat. Conatus est (vt

ipse

ipſe interpretabatur) humani generis hoſtis obicem itineri ponere: vix enim equum aſcenderat PETRVS, cùm ad primum aſſultum, viâ planâ, equus validus, tantoq; labori par, pedem fregit. Sed quod, ominis mali, alteri præſagium fuiſſet; Chriſti miles, boni, cum capitali bonorum aduerſario, certaminis exordium ſumpſit; eâdemque die, alio conquiſito equo, ſine mora iter proſecutus eſt. Quod ipſum, ſingularibus quibusque factis ita honeſtauit, quaſi nec proficiſci vellet, niſi ſimul laboribus, meritisq; proficeret. Diuertit aliquantulum ex itinere, inuitante SOPHIÂ de Sprowa Odrowąziâ Caſtellanide Woinecenſi, ad IOANNEM Comitem à Tarnow, maritum ſuum. Cuius vacillantem, & dubiam fidem, inter Miniſtrorum Hæreſeos blandimenta, & fallacias cùm reperiſſet; eorum profligatis palàm, conuictisq; erroribus, ita priſtinæ firmitati reſtituit; vt deinde aliquot poſt annos moriturus, præſente Aulâ totâ, accito ad ſe Patre PETRO, benedictum, accenſumq; cereum de manu illius accipiens, illis vltimùm Pſalmi verbis alloqueretur. *Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pari, (licet

(licet principio difficiliori) ſucceſſu Iaroſlauiam prætergreſſus, NICOLAVM Mieleciium Podoliæ Palatinum adijt. Vir ille, ciuili prudentiâ, maturoq; iudicio, multis probatus, vnâ Hæreſeos labe notabatur. ſimul cum coniuge, quæ in deterius prolapſa, à Caluiniſmo ad Arrianos; ab his deinde, ad Judaiſmum vsq;, gradum fecerat. Admouit primùm P. PETRVS ſalutaria monita, oculosque amborum, tam profundæ veritati clauſos, Diuinâ Scripturæ, Patrumq; auctoritate aperire connitens, reſiſtentem ad primum inſultum fortiter vtrumq; ſenſit: & peruicaci pro perfidia, zelo inductus Palatinus, rationum robur amplius non ſuſtinens, de ponte, per quem deſcendendum Patri SKARGA fuerat, deturbari eum, in præterfluentem mandauit. Sed digreſſo PETRO, & ad conſcientiam redeunte Palatino, poſtquam dicta, monitaq; veritatis, cum perfidiæ rationibus contuliſſet, victamq; aduertiſſet Hæreſim, continuò de via iterum honorificis literis aduocato P. SKARGÂ, manus vltro, & cum coniuge, Catholicæ fidei dedit; in eaq; ad finem vſque vitæ, firmus ſemper eiuſdem defenſor perſtitit. Hoc itaq;, & ſimili animarum CHRISTO

STO acquiſitarum viatico diues, Romam demùm Menſe Septembri, Anno ſalutis 1568. fauente Numine, incolumis cum ſocio peruenit.

Jncidit in illud planè tempus, quo, ante menſem exactum, B. STANISLAVS KOSTKA è viuis exceſſerat; vt Diuina benignitas conſulere Poloniæ viſa ſit, cùm in locum cælo receptæ iuuenilis innocentiæ, maturum labori virum ſubſtitueret: quò, cæleſti alter præſidio, alter infatigato ſudore, Poloniæ opem ferret. Romæ itaq; aliquot in ſumptis menſibus, dum ad Sanctorum Martyrum ſepulchra, pro incolumitate ſua ſupplicat, & frequentiùs iteratis precibus, apud Patrem Generalem (Beatus FRANCISCVS Borgia is fuerat) aditum Societatis flagitat, admiſſus eſt: ipſoq; die Beatiſſimæ Virginis Purificationi Sacro Sociorum numero aggregatus. Quo ille die, ſemper anniuerſariè, tum in DEVM, tum in eius Matrem, memorem ſe beneficij accepti præſtitit; nec vnquam illud in hanc Virginem, poſt DEVM, referre dubitauit: vti in eloquentiſſimis, ſimul ac pijſſimis eius Concionibus, ad diem, tum Purificatæ, tum Viſitantis Virginis conſcriptis, videre licet.

Jucun-

Jucundum hoc in loco, vnum, alterumuè despicientiæ exemplum, referre de eo solitus est Pater SIMON WYSOCIVS, cuius proximè mentio facta est. Ac illud inprimis; quòd cum more sæcularium Prælatorum, barbam comptiorem deferre consueuisset Pater; initâ autem Domo Probationis, neminem videret, qui hoc ornamenti genus aleret; exhorruit nonnihil, doloreque comæ suæ perdendæ perculsus est: sed mox sui potens, molliorem q; iustò animum incusans, forficibus comam illam parùm ex arte præcidit, abiecitq;: causam facti ab eo, qui, de Socijs, eius curam gerebat, interrogatus, ansam (respondit) quâ me hostis arripuerat, sustuli. Edidit postea & aliud non leue, imò illustre, Tyronis, se, nomenq; suum despicientis, argumentum. Illo namq; die, quo primùm Religiosæ mensæ cum reliquis assedit, appositos melopepones, vt omnibus rudem se persuaderet, sumpsit, corticibus non abrasis. Quod vbi Pater Rector aduertisset, hominisq; valetudini metuens, vini generosi poculum propinari iussisset; accepit ille, sed vt virtutis inuolucrum suæ: progressus enim ad Socios, optimum enimuero, inquit, medium, vt generosum

rosum bibas vinum, non decorticatis vescaris melonibus. Talibus initijs feruentiores addens quotidie progressus, in exercitio solidarum virtutum exacto biennio, & Theologicis studijs repetitis, DEO ritè per vota Religiosa obligatus, postquam, inter sacræ pænitentiæ ad Vaticanum Iudices, strenuam operã nauâsset, iterum in Poloniam redire iubetur.

Quam ille laboris sui Spartam, lætissimo charitatis accipiens complexu, tamdiu circumferre in visceribus voluit, donec in ea CHRISTVM formaret. Primam Pultouiæ, Superiorum imperio, nactus Cathedram, feruenti, & graui oratione, frequenti concursu, ad populum verba fecit. Deinde vbi sexennio post initam Societatem, Professis Societatis IESV, quarto voto edito adlectus esset; quasi exiguus hic industriæ suæ campus esset, vni Ciuitati prodesse; in vicinam Liuoniam, partim cum Eminentissimo Cardinale Radziuilio, Liuoniæ protunc Gubernatore, partim cum Serenissimo STEPHANO BATHOREO, Poloniæ REGE, excurrit; hæreticâq; labe infectos populos, sacræ eruditionis pabulo, priuatisq; allocutionibus erudijt, fructu laboribus respondente.

Sed

Sed cùm videret bonus Pater, parùm semel dictis profici verbis, nisi, qui perpetuò dicerent, essent; Principum fauore ad emolumentum Reipublicæ vsus, Collegia Societatis IESV, perpetuum Euangelicis operarijs Seminarium, (nisi hæretica rabies successu temporis præualuisset) STEPHANI BATHOREI REGIS liberalissimi beneficentiâ, Derpati, Rigæ, Polociæ, fundauit: sicut & antè, Româ primùm rediens, Iaroslauiensi Collegio per manus SOPHIÆ de Sprowa Odrowąziæ, Palatinæ Sendomiriensis, bona initia ieceratu.

Hæc inter studia, Vilnensis Collegij Rectoris, totiusq; Prouinciæ Polonæ Vicepræpositi munere, necnon Rigensis, Polocensisq; Residentiarum Superioris officio perfunctus; vbi per quietem licuit, delectam priùs literis suis, deinde pietati sedem, Cracouiam, regressus, eodem linguæ sanctioris torrente, quadriennio integro, vtilissimè ad omnem pietatem prouexit; & opportunissimè ab irruentium Hæresiarcharum rapacitate tutatus est, redeunte, ad feruentissimi Patris conciones, & monita, intermisso SS. Pœnitentiæ, & Communionis frequentiori vsu; templis ipsis, ab antiquo

ſitu, & ſqualore, in cultiorem nitidamque elegantiam vindicatis; populi languentem, labenteq; inter Hæreſes deuotione, ad Diuini obſequij famulatum, Sanctorumq; implorandа ſubſidia, ardentiùs exſtimulatâ. Quibus acceſſit Domus Probationis ad S. STEPHANI nuper inſtituta, ipſiusq; conſilijs, ac induſtriâ, congruis reditibus à Kormanicka, lectiſſimâ fæminâ opportunè dotata. Auxit inſuper pietatem ſaluberrimis, quæ miſericordiam concernunt, inuentis. Illius enim ductu, Sodalitas Miſericordiæ excitata: cui leges, conſuetudines, muniaq; præſcripſit; ſelectisq; Patrum, & ſcripturæ teſtimonijs, prælegendam ſingulis Dominicis diebus in conſeſſu Sodalium, alimoniam miniſtrauit. Huius confraternitatis ſtudio, ac liberalitate, & ij, quos pudor à mendicando abſterret; & aut debita contracta grauant, aut, inopiâ fortunæ, infelicitas opprimit, pronum ſemper patrocinium, opemq; experiuntur. Et manauit in alias quoq; Poloniæ vrbes, id ſaluberrimum exemplum, excitatis ſimilibus per eas ſodalitatibus miſericordiæ. Addidit præterea Varſauiæ prædictis, S. LAZARI confraternitatem; quâ per ciuitatis vicos ſparſi,

ſparſi, iacentesq; mendici, piâ ſodalium charitate, ad excitatum induſtriâ PETRI, Principum liberalitate noſocomium, deferuntur.

Contentus iam eâ Religioſæ vitæ quiete degebat PETRVS; nihilq; aliud cogitare videbatur, quàm vt in proximorum curandam ſalutem, quibus poſſet medijs, incumberet; ſpectaretq; laboris fructum, quem, in fundanda ad S. BARBARAM Profeſſa Societatis Domo, & altera Probationis ad S. STEPHANVM ſtabilienda, poſuerat. Verùm aliter viſum Superis. Poſt exceſſum enim diuæ memoriæ STEPHANI BATHOREI, ad Clauum Reipublicæ Polonæ, de conſenſu Ordinum, euocato ex Suecia SIGISMVNDO III. IOANNIS Sueciæ REGIS Filio, vigeſimum primum annum tum agente, PETRVS quoq; in Regium Eccleſiaſtem, eiuſdem Diuæ memoriæ SIGISMVNDI voluntate eſt aſſumptus: eoq; in munere, per annos viginti ſex, magno, & Aulæ, & Regni totius bono, multâ Societatis commendatione perſeuerauit. Moleſta quidem viſa eſt vita, à Fratrum complexu diuelli; & in ea ſemper conſiſtere veluti ſpecula, vbi quidquid ageres, aut diceres, ex totius Societatis per-

ſona agendum, dicendumúe eſſet: ſubmiſit attamen oneri humeros PETRVS; vt qui didiciſſet, nunquam obſequenti animo cælitùs miniſtratas vires deeſſe. Quâ verò curâ, & ſedulitate, commiſſum ſibi Regij Concionatoris munus exercuerit, quemq; plauſum, aut quem fructum optauerit, ipſiuſmet verbis cenſuerim exprimendum. Jta enim ipſe in Præfatione earum concionum, quas Sereniſſimo SIGISMVNDO, iam ætate grauior dedicauerat, coram terreno REGE, cæleſti rationem reddens, loquitur: *Mecum ipſe recogito, quam demùm rationem, difficilis adeò muneris Chriſto* DEO *meo redditurus ſim, ſi is, qui me ad eum laborem delegit, talentisq́, quantum modicæ vires ferunt, inſtruxit, tandem quæſierit: Ecquis laborum tuorum exitus? qui, qualesúe fructus? Ego verò quis tum conſiſtam? quid proferam? rubore, timoreq́; ſuffuſus meo, hæc fortè eloquar. Legatione tuâ Domine ad Aulam Regiam, Sereniſſimi* SIGISMVNDI, *duorum Regnorum Inuictiſſimi Monarchæ, ad Senatum, ad Equeſtrem Ordinem, omnesq́; eius Sacræ Regiæ Maieſtatis ſubditos, perfunctus ſum. Docui, & adhortatus ſum, nomine tuo, Dominum Regem meum, Chriſtum tuum; vt pote eum, cuius ab exemplo, felix aut infortunatus*

Regno-

Regnorum successus penderet: Te suum agnosceret Dominum, cuius ductu assumptus est; & Caput, in tam lata, adeoq; numerosa gente factus. Sapientiam, & scientiam, difficili adeò regimini necessariam, à Te postularet: addisceret timorem tuum: omnem pietatem adamaret, coleretq;: obsequij, & gloriæ tuæ, incrementa augeret: Ecclesiarum, & Fidei tutelam assumeret: ad normam legum imperaret: iustitiam, disciplinamq; non desereret: amore intimo subditos, Regniq; leges complecteretur: laborem nullum, vigiliasq; in promouendo communi bono, Req; publica incolumi, ac integra conseruanda recusaret: doctos, & pios foueret; eorum consilijs niteretur: ad Regni munia eos Adiutores muneris sui seligeret, qui pietate, religioneq; à fastu, & ambitione alieni, præcellerent: deniq; à via mandatorum voluntatisq; tuæ ne digrederetur. Pollicebar interim nomine tuo Christe, potentem dexteram tuam ei vbiq; affuturam; & felici successu ea, quæ ordiretur ipse, ad effectum deducturum, &c. Prosequitur deinde longiori oratione, quæ Senatui, quæ populo dixerit, ad quæ bona duxerit, à quibus abstraxerit vitijs: vt omnium Concionum ideam, compendiumq;, breui illâ Præfatione texuisse videatur.

Solitus quippè erat, ita appositam au-

dientium mentib⁹ præmeditari, & adferre orationem; vt & suaui, faciliq; eloquentiâ influeret, & graui quâdam Maiestate, à Sacræ Scripturæ, Sanctorumq; Patrum auctoritate petitâ, animos deuinciret, traheretque, quò vellet. Subtilitates, & acutæ dicacitatis lenocinia, quæ susurrant aliquid palato, non dicunt cordi, prorsus ablegauerat. Spiritum, pietatem, rationum robur, & Apostolicam ad vitia extirpanda libertatem, spirabat tota dictio semper. Erat enim in eo singularis quædam, magnæ prudentiæ iuncta, in dicendo de superiore loco, libertas; à qua eum nulla multitudo, nulla dignitas, nulla varietas Auditorum, deterruit. Et constabat omnibus audientibus, illi dicenti, solius DEI gloriæ, & animarum salutis, & boni publici causam, curamq; ob oculos versari. Inde consecuta, tam benè præparati, & prorsus Apostolici sermonis æstimatio, & reuerentia; inde, quod maximè quærebat, maxima per omnes ordines morum, ad meliora commutatio. Triplici porrò in efformandis concionibus vsus est subsidio, orationis, videlicet, mortificationis, ac diligentiæ; quarum priores duas præmittere semper

soli-

ſolitus: orationem quidem, aptis ad id precatiunculis ſcripto conceptis; mortificationem verò triplici quandoq́;, aut quintuplici diuerberatione continuans, tantum cæleſtis annonæ concioni acceſſurum credebat; quantum ſibi cumulaſſet doloris. Jllud ab exacta præparati ſermonis diligentia profectum; vt conciones ferè ſingulas ad verbum conſcriberet: quin, ſi non ad captum audientium viderentur, ad tertiam vsq́; limam integras vocaret, tantâ Diuinarum ſcripturarum lectione, vt nec menſam (quam diu ad Regis aulam moraretur) accederet, niſi Diuinæ ſcripturæ lectio prius ei cibos condiret: & iam grandæuus, Cracouiam rediens, id præcipuum oblectamentum haberet, Diuinam ſcripturam, & præcipuè D. PAVLI epiſtolas relegere; aut qui prælegeret, inuitare.

Extra hunc Concionatorij muneris ordinem, ſuum eſſe opinatus, quidquid poſſet manus ſua inſtanter operari, admouit manum ſacris operibus. Sanctorum vitas, idiomate patrio, induſtriâ ſingulari ſelegit, in ſingulos anni dies diſtribuit, morales doctrinas ad quamlibet appoſuit: quin, & Eccleſiæ Doctorum exemplis, ex eorun-

dem ſcriptis excerptas ſententias addidit; quibus, Hæreſes modernæ, per ſingula capita errorum, impugnarentur; & præſens Eccleſiæ doctrina antiquis per omnia conſentiens demonſtraretur. Qui labor, ipſo ſuperſtite, octies impreſſus lucem vidit, videtq; omnium implens manus, cordaq;, vt rara ſit domus, cui hæc vitæ benè inſtituendæ ſacra Bibliotheca præſto non ſit. Cæſaris deinde Baronij Annalium Eccleſiaſticorum tomos aggreſſus, ipſomet per literas approbante Auctore, in compendium tomi vnius, non minore labore, quàm iudicio redegit. Concionum præterea tomos duos poſteritati dedit, magnum doctrinæ, & pietatis ſuæ teſtimonium. Repullulantem protunc Arrianam Hæreſim, Lutheri, & Caluini ſectam, & præcipuè de CHRISTO, in ſanctiſſimo Altaris SACRAMENTO exiſtente, erudito contra Volanum, eoq; iterato ſcripto confutauit. Militibus orandi, viuendiq; formulam præſcripſit: Schiſmatis Ruthenici oppugnationem, inter quotidianos labores concinnauit; vt nullum prorſus hominum genus eſſet, cui PETRI SKARGA affectus ſe non impenderet. Accidit in eo genere ſcri-

pto-

ptorum, quibus Schiſma Ruſſicum impugnauit; vt, primos inter labores, Vilnæ librum de vnitate Eccleſiæ, & Græcorum, Ruthenorumq́; ab ea receſſione, deq́; incitamentis iterum recipiendæ vnionis in lucem ederet: fuitq́; tantum veritati robur, tanta rationibus claritas; vt ij, quos præcipuè ſpectabat labor, nec pati poſſent, nec refutare. Ergo potentiorum aduocatâ ope, quidquid eiuſmodi exemplarium in Bibliothecis reſiduum fuerat, collatâ pecuniâ coëmunt, comburuntq́;. Sed eo ſucceſſu, vt clarâ adeò victi Schiſmatis confeſſione, auctiorem deinde editionem, & regiâ protectione tutam euocarent. Pro Societatis etiam defenſione, contra grauiſſimas aliquorum, maximè Sectariorum, calumnias, Apologeticos vulgauit: eâ moderatione, vt hoſtes ipſi probarent; eo veritatis pondere, vt victi, confuſiq́; obmuteſcerent.

Duxit exinde felices laboris ſui manubias; vt Matri Eccleſiæ reſtitueret, non è vulgo tantum plurimos; ſed etiam multos ex prima Nobilitate viros, Regiæ Aulæ Præfectos, Cubicularios Regios, & inſuper ipſos aliquot Hæreticæ prauitatis Miniſtros. Vnioni

ni cum Romana Ecclesia, per aliquos Ruthenos Græci ritûs Episcopos attentatæ, opportuno subsidio adfuit; Regisq́;, Domini sui, amplissimam ad Sedem Apostolicam commendationem, itinerisq́; subsidium obtinuit. Coniurationem Schismaticorum cum Hæreticis, ad dissuendam hanc concordiam in Brestensi Conciliabulo, quod ipsimet collegerant, initam, constanti sapientiâ, ac pietate perfregit. Sæpiùs inter partes agitata internecina odia, resq́; ad sanguinem vergentes, interpositâ tum auctoritate, tum ratione, & inprimis ad DEVM oratione, composuit. Præcipuus inter eos, quos, aut Superiorum mandato, aut charitate inductos suâ, susceperat, labor, Fidei Christianæ Catholicæ promotio, & obseruatio fuit. Hanc, ille prouidis, maturisq́; consilijs, hanc ore, & calamo, insuper vitæ, famæq́; periculo, apud Regiam Maiestatem, & Regni Status, contra impios, & Hæreticos tueri non prius destitit, quàm viuere. Iam tum in Senatum multi Hæretici peruaserant; fiebatq́;, vt plerumq́;, quidquid in Ecclesiæ commodum deliberandum veniret, promptis illi consilijs dissuerent. Iuit obuiam prudentissimus REX,

&

& Catholicorum numero paulatim Senatum adimpleuit; adeò, vt Hæretici vnicam postmodum Hæresim, honori, speique suæ contrauenire videntes, Hæresim aut exuerent; aut, si hoc nollent, manerent inglorij, minusq; Ecclesiæ, & veritati noxij. Ex eorum hominum audaci libertate, publicis Regni Comitijs, grandis erat excitata controuersia. Volebant nimirùm, vt lex quædam, & libellus confœderationis dictus, quem ante in conuentu particulari procuderant Hæretici, & in quem, multa impia, de concedendis superstitioni suæ templis, perfidiæ immunitate, liberâ cuiusuis religionis professione, congesserant, publico Ordinum omnium consensu, Regiâq; auctoritate firmaretur. Restitit Pater PETRVS, iam concionibus feruentiùs dictis, iam libellis priuatim elaboratis; approbariq; eam legem, quæ in perniciem Religionis Catholicæ, Regniq; totius sit, nec posse, nec debere, suasit. Sed vt sua semper non deest nequitiæ calliditas, non procedentia in plano consilia, occultis adoriuntur cuniculis. Scriptum aliud, blandis, castigatisq; verbis venenum illud approbandæ Hæreseos condiens, Ordinum iterum manibus,

Regi-

Regiæq; approbationi porrigunt; eoq; res processerat, vt, dum omnium manib⁹ scriptum illud teritur, omnibus ad singula minùs aduertentibus, penè fraus omnis lateret. Sed Regis sedula pietas, priuatim noctu relegens singula, quæ in crastinum approbaret, speciem fraudis aduertit; & continuò, licet in serum progressâ nocte, Patri Petro Skarga relegendum mittit; videret ille, quid sibi rectâ fide, & illibatâ conscientiâ statuendum esset. Vt vidit Petrvs, fraudemq; ad acriorem libellam recensuit; præter ea, quæ de tota illa subreptitia expostulatione Regi retulit, præcipuos quosque Regni Senatores, & Nobilitatis legatos summâ celeritate adijt: quanta rebus Diuinis iniuria, cum imminutione famæ, Nominisq; Poloni, ex approbatione fraudulenti adeò consilij sequeretur, edocuit; confutauitq; ita, vt & pietati Regiæ, & Religioni abundè consultum fuerit. In eiusmodi piæ solicitudinis præmium, Hæreticorum quidem probra, & alapæ, perferendæ sibi frequentiùs fuerant; bonorum verò amor, & reuerentia, & admiranda in consilijs, animæ salutem concernentibus, fiducia, sequebatur.

Ipso

Jpſo præſente, & dirigente, multi è prima Nobilitate Viri, præſertim, quos ante ab Hæreſi, ad Eccleſiam reduxerat, cum vltima mortis neceſſitate, colluctari volebant. Et accidit non rarò, vt agonizantium deſiderijs ipſemet Pater, quaſi de cælo monitus, opportunè adueniret.

Viginti iam & ſex annos in Regij, Regniq́; totius Eccleſiaſtæ munere exegerat, cùm ætate, & ad labores iam impare valetudine, diſceſſum ab Aulæ ſtrepitu, reditumq́; ad Religioſorum priuatum conuictum meditari cæpit. Ergò multis, & apud Societatis Præſides, & apud Regiam Maieſtatem, egit precibus, vt ſibi fracto laboribus, tempus reliquum Religioſæ quietis concederetur, & iterata licet repulſa, geminatis tamen precibus miſſionem tandem obtinuit. Quâ obtentâ, ipſo Paſchatis die, pro concione, Regi, Senatui, cunctisq́; Ordinibus dicto vale, exceſſit Varſauiâ, gemitu, & lachrymis comitantibus multorum, quas, memoria laborum, & meritorum optimi Patris, expreſſerat.

Fuit in eo viro ſingularis, & profunda demiſsio, interq́; honores humilis ſuiipſius æſtimatio. Redux ab Italia, initâ iam Socie-

cietate, Leopolim, antiquam ſuam Sedem aliquando inuiſit. Ibi contubernium Canonicorum, in quo ipſe aliquando vixerat, accumbentibus illis, vt tum ibi mos erat, communi menſæ, ingreſſus, poſitis in medio cænaculi genibus, ſeſe de præterita inibi vita accuſauit; veniamq́; perfuſus lachrymis ſupplex petijt: quaſi nimirùm eo loci non iuxta Sacerdotalem vocationem vixiſſet, & mala ibidem de ſe exempla quondam dediſſet. Exciuit ſpectaculum hoc præſentibus omnibus lachrymas, præſertim probatiſsimæ eius vitæ, laborumq́; perutilium conſcijs. Summa alijs aſſecutus fuiſſe videri poterat; vt pote, qui præter omnium Regni Procerum, Ordinumq́; amorem, apud Regē ad ſummam admiſſus fuerat gratiam; & à CLEMENTE VIII. boni Patris nomen, cum pleniſsimis affectûs literis obtinuerat; illè tamen non plus his vnquam affici viſus eſt, quàm ſi hæc ad eum minimè pertinerent. In iuuandis animabus eximiarum adeò perſonarum non acceptator; vt, animas magis, quàm perſonas intuitus, non minùs infimæ ſortis hominum, quàm illuſtrium quarumq́; perſonarum, ſalutem procuraret. Iunxit Humilita-

litati indiuiduam comitem Patientiam. Primùm Vilnæ in Lithuania cùm acriùs in Hæreſes pro concione fuiſſet inuectus, vnius Hæretici adequitantis in via protritus equo, alapam in præmium prædicatæ veritatis obtinuit. Licetq; is à Domino ſuo, pænæ, iuxta iuris præſcriptum deſumendæ, extraderetur; intercesſit attamen PETRVS, & neutiquam permiſit patientiæ ſuæ occaſionem à quoquam vindicari. Similis ei patientia in alio non diſsimili euentu conſtitit. Viſus enim neſcio cuius in patrimonio CHRISTI luxum perſtrinxiſſe, quod æquiùs erat in pauperes, inediâ, & frigore ob oculos eius morientes, profundere; Nepos eiuſdem regredienti à concione Patri colaphum impegit: cui Pater aliud nihil, quàm illud Dominicum repoſuit, ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Et illud eiuſdem Apoſtolicæ ſementis eſt, quod addo tertium. Inuectus erat ſolito dicendi ardore, in veſtium luxum ferueutiùs, vt potè qui grauitatem, honeſtatemq; Polonis obſeruatam, ſemper dedeceret. Pupugit res illa vnum, præcipuè ex comptulis eiuſmodi, qui vlturus piam Patris medelam, egreſſum templo priùs maledi-

ledictis, alapâ deinde appetit, PETRO ex disciplina CHRISTI, id vnicum respondente; Fili, si placet, en tibi & alteram maxillam. Hæc vbi REX accepit, captum illum aulicum, & Diuinæ in Sacerdote Maiestatis, & Regiæ in Concionatore Regio violatæ reum, capitali supplicio adiudicauit. Sed tam diu Pater PETRVS, summis apud Regiam Maiestatem intercessit precibus, donec impetratam vitam redderet percussori; & ita vlcisceretur iniuriam, si minimè vltus esset. Sed qui vnius alteriusúe alapam, ita modestè pertulit, longè acerbiores aliorum linguas perpessus est. Impressas typo Hæreticorum calumnias, in faciem iactata probrosissima verba, efficta Reipublicæ turbationes, adiecta crimina, (quorum omnium, aut Politicorum detectæ fraudes, aut Hæreticorum conuersiones, causa fuerant) ita surdâ aure prætergredi solitus; vt non aliter hæc, quàm si in ventum spargerentur, dissimulata abirent; nisi vbi Ecclesiæ, aut Societatis bonum, modestæ responsionis aliquid extorsisset. Nec illam silere fas, summos inter Aulæ strepitus solitudinē. Adeò Religiosæ vitæ consuetudinem, in nulla penitùs re mutari à se volebat;

bat; vt & aſsignatam orationi matutinæ horam, & bis in diem examinandæ conſcientiæ tempus, conſtanter, quoad vixit, tenuerit. Nullum laborem dicendi, aut ſcribendi aggreſſus, quem ſedulâ oratione DEO priùs non commendaſſet; quem proprij (vt ita dicam) afflictione, & cenſu corporis non redemiſſet. Manſit libellus, in quem referebat, quodcunq; diuerberationis, & quotidianarum orationum penſum, ante ſingularia quæq; opera, DEO obtuliſſet. Ita Baronij quilibet abbreuiatus tomus, ſibi iam quinquageſimum quintum annum agenti, viginti quinque diſciplinis, (vt vocant) libellus de quatuor nouiſsimis, decem, Vita B. CANTII, quinque, S. CASIMIRI, decem, Concionum quælibet, quibus præcipuè inſudaturus fuerat, quinq; conſtitit. Cælitum cum DEO regnantium, opem feruentiùs implorans, etiam eorum aſpectu exhilarari promeruit. Primùm quidem Cracouiæ, die feſto S. CÆCILIÆ, cùm ſacris altaribus aſsiſtit, eiuſdem Sanctæ (vt ipſemet interpretatus eſt) precibus, ſingulari de Sanctiſsimo Euchariſtiæ SACRAMENTO notitiâ, & illuſtratione eſt delibutus. Anno deinde 1610. calculi grauiſsimo do-

lore diuexatus, cùm D. FRANCISCVM de Paula, quem ſibi eius menſis Patronum, ſortitio menſtrua dederat, impensâ prece exorat, præſentem cum S. Patre IGNATIO, intuitus eſt: audiuitq; dicentem: Venimus ad deprecandum Dominum, pro ſalute tua. Præcipuâ tamen deuotione ſolitus ferri erga eos, quibus cum vixit; eorumq; virtutes, atq; ſanctè actam vitam habuit benè perſpectam. Ex eorum numero fuit Pater STANISLAVS Warſzewicki, (qui inſigni honorum contemptâ luce, quæ illi ſatis iam ſplendidè ex gratia Regia affulgebat, Societatem IESV ingreſſus, multisq; perfunctus laboribus, ad præmium æternæ vitæ receſſerat.) Huius cùm frequentem memoriam, in acerba febri, quâ Varſauiæ diuexatus eſt, Pater PETRVS facit; claro die, meridiano ſole affulgente, Martij 20. Anno 1604. conſpicuum ſe ei clariſſimo ſplendore exhibuit, dixitq;: Ecquid Pater SKARGA, vnum duntaxat vitæ annum à DEO tibi prorogari expetis? cur non potiùs denos? Nec vanum oſtentum fuit; tertiâ die febris penitùs remiſit; PETRVSQVE in decimum exinde annum, vitam produxit. Simile & illud eſt, quo alter

ter eiusdem Societatis in rebus temporalibus Coadiutor Patrem PETRVM recreauit, visum. Hic artificio murarius, sponsâ iam promissâ pro CHRISTO relictâ, Societati nomen dederat; laboriq; suo adeò operosè insudabat, vt sæpè attritæ manus copioso sanguine diffluerent. Adhortabatur hominem Pater, insisteret operi, in ornando cultu diuino non deficeret; adfuturum breui tempus, quo ipse quoque cælitum præmijs ornaretur: animatusque adeò bonis monitis, accessit ad ipsam vitæ metam, eâdemq;, quâ viuis excessit, horâ, Patri PETRO, duodecim inde passuum millibus commoranti, manifestum se stitit; manusq; sanguine olim manantes, sed nunc iam in purpureum, splendentemque colorem abeuntes ostendens: Accepi, inquit, præmium sanguinis huius Pater. Atque istiusmodi Propheticæ futurorum prænotiones, prædictionesque illi non inusitatæ fuerunt, comprobante semper veritatem subsecuto euentu. Notabile illud, & iam tunc, sicut ab omnibus notatum, ita & hodie cernitur adimpletum. Emittens namq; in lucem duos, de Sanctorum vitis, tomos, in præfatione priori

tomo præfixa VLADISLAVM IV. tum quidem octenni non maiorem Poloniæ Principem, ita non ominantis, sed planè prædicentis spiritu alloquitur; ita omnia de Regno eius, regiminisque successu prænuntiat; vt non futura, sed præterita aut præsentia scribere videatur, tam certo euentu, qualem tam multis post annis subsecutum, atq; præsentem, vniuersa conspicit Europa; vniuersa perfruens sibi gratulatur Polonia.

Tristior fuit alterius prædictionis, sed non minùs verax euentus. Erat ex Principibus viris nonnemo, Lutheri tam infectus, quàm & addictus erroribus. Diu multumque P. PETRVS SKARGA in eo ad Ecclesiæ fidem, vnionemq; adducendo laborauerat; sed omni labore irrito. Edixit ergo illi Pater, adfore quondam tempus, quo omnia, quæ ex se audisset de Religionis Catholicæ veritate, fateretur, confessione tamen minimè sibi proficuâ. Degebat longè Pater, & spiritualibus exercitijs sese fortè, annuo Societatis nostræ ritu, occupabat: cùm die quodam, circa meridiem, sudo per omnia cælo, vehemens quidam turbo circum habitaculi fenestras

nestras incubuit; voxque lamentabilis aures Patris impleuit: Pater SKARGA, P. SKARGA, vera, vera nimis fuêre illa, quæ de religione suasisti; sed væ mihi! væ mihi! Quam postremam lamentantis vocem diu Pater audiuit repetitam; donec demùm quasi per distantiam loci, audiri desineret. Citò post Pater nuntium de morte Principis illius accepit; collatoque euentûs sui, & mortis eius tempore, comperit, illo ipso articulo, infelicem illum, in Hæresi sua defunctum. Fouendæ suæ deuotioni, icones sacras, non à diuite quidem penicillo, à pia tamen manu, libenter adhibuit: illas, quæ nec pro dignitate, nec pro decore Sanctorum essent, igni potiùs tradendas censuit, ipseque fecit. Extat eius rei singulare monumentum, donata quædam cælitùs consolatio, & addita præmij spes, ipsiusmet manu consignata, quòd Vilnæ CHRISTI ligno exsculptam effigiem (sed non pro decentia) exusserit, præmissis hisce verbis: Tu equidem Domine IESV nosti, quod amem te, tuasque imagines venerer; eas tamen, quæ non sunt ad honorem tuum, vellem penitùs aboleri. Ex oratione velut perenni cæle-

itium bonorum fonte, ſecuta ſunt aliarum ornamenta virtutum. Puritas animi, ſeu conſcientiæ illius ea fuit; vt neque hoſtis animæ reperire poſſe viſus fuerit, quòd in vita, moribusque culparet. Contigit aliquando, vt ab homine inſeſſo, malum hoſpitem ſacris carminibus foras abire cùm iuberet, nequam Spiritus obiecturum ſe illi quidpiam minaretur, ſacrâ confeſſione minimè expiatum: benè conſcio ſibi Patre, ac ideò permittente, vt demum, quicquid haberet, obijceret: Ecce (inquit malus genius) ſcopas alienum ante cubiculum poſitas, ſine licentia ad vſum tuum adhibuiſti: non leui ſanè indicio, & quæ Patris innocentia mentis foret, & quàm attentè mali Dæmones, omnia noſtra etiam minutiſſima errata obſeruarent. Morum integritas, atque modeſtia, quamuis in perpetuò aulæ comitatu, ipſiſmet etiam hoſtibus fuit in honore; quam, præter perennem ſenſuum cuſtodiam, carnisque afflictationem, comitis ſui è Societate præſentiâ, ſemper eſſe voluit munitam. Paupertatem loquebatur etiam in Regia affluentia: cubiculum ne panno quidem rudiori veſtitum; lectus, aliaque

ad

ad vsum necessaria sanè pauperis Religiosi, non concionatoris Regij. Et licet ex Regiâ munificentia, pecuniam sustentationi suæ, quam vellet amplam, habere potuisset: plus tamen, quam satis moderato vsui esset, non admisit; eiusq; quam accepit, singulis annis exactam superioribus rationem reddere solitus fuerat. Obsequij, & obedientiæ laudem coluit præ cæteris, vt ad nutum Superiorum semper esset: licetque eis quæ iudicium concernunt, aut â nobis elaborata sunt, adhæreamus plerumque tenacius; Pater PETRVS tamen pro libitu maiorum, & concionum mitigare feruorem, & augere benignitatem perinde habuit. In tanta laborum frequentia, quam sibi, aut Ecclesiæ defensio, aut muneris ratio assiduè ingerebant, quidquid supererat literis minus apti temporis, totum manuali occupationi impendebat; ne otio locus esset: iamque pennarias, & atramenti thecas instruere, consuere indusia, fundere candelas, & in extrema senectute, strophia Nouitijs Societatis reparare, solenne habuit. Vltimus ferè labor fuerat, candidi duo cerei, quos animi sui testes, primum quidem

Beatiſſimæ Virgini CZĘSTOCHOVIENSI, miraculis per Poloniam, totumque Septemtrionem celebri, dedicauerat, miſeratque; alterum ſimilem eidem Diuæ Virginis Matris Imagini, (quæ vna ex ijs quinque, quas Beati PATRIS FRANCISCI BORGIÆ pia deuotio, Summi Pontificis conceſſione accedente, ex Romana Maiore depingi curauerat, priuato primò cultu coli cœpta, publicâ deinde deuotione, & inſignibus illuſtris miraculis, in Sacello Nouitiatûs Soc: IESV inclaruit,) accendi petierat. Perlatus vterque, & ante Aras Diuæ Virginis accenſus, eodem tempore, & horâ (vt poſtea cognitum eſt) ardendi, quo & PETRVS viuendi finem fecit. Ad quem finem, tot per labores, ac merita properans, vbi ſeſe, vt ſupra innui, Aulæ negotijs ſubduxiſſet, Cracouiam peruenit.

Receptus eâ omnium hilaritate, quam, & grandæua ætas, & ſancta quædam vultûs, totiusque corporis auctoritas merebatur. Ingreſſus religioſum cubiculum, quod tantis votis pridem ambierat, non minori mentis quiete amplexus eſt: vbi tandem negotioſiſſimum vitæ, otium aggre-

greditur. Quamdiu quidem vires adhuc valentes erant, quotidie operabatur sacris, Diuinum officium exactè, diligenterque recitabat: deficiente deinde valetudine, quotidie cælesti alimoniâ recreari petijt: ad quam suscipiendam, summâ reuerentiâ, capite inclinato, componebat sese. Eos, qui inuiserent, rogabat, vt, si quid loqui vellent, loquerentur secum de Regno DEI. Ad quod regnum vt disponeret sese, primùm generalem totius vitæ confessionem, ad maius meritum, & pœnarum purgatorij diminutionem, suique ipsius confusionem, (ipsius hæc est intentio, & verba) præmisit. Inungi postmodum ad certamen vltimum, sacro oleo voluit: & ita demum paratus Athleta, expectabat in dies mortem, quin & cælestis desiderio Patriæ, Regnique sui, prouocabat, quotidie Angelicum prægustans panem, quò fortior magnum illud vitæ iter conficeret. Cùmque, aggrauante morbo, interclusisque maiori parte spiritibus, orationes, quas præmittere SANCTISSIMÆ EVCHARISTIÆ sanus solebat, recitare non posset; piam inter reueren-

tiam, & amoris famem constitutus, dicebat Sacerdoti Diuinum sibi epulum porrigenti: Pater mi, in animam tuam SANCTISSIMVM SACRAMENTVM recipio, ad quod recipiendum dignè paratus non sum. Quæ vox adstantibus, benèque vitæ innocentiam perspectam habentibus, insignè humilitatis exemplum dedit, lachrymasq; expressit. Hæc inter, cum bono Domino, bonus seruus colloquia tacitè conferens; summâ quiete, die Festo Translationis DIVI STANISLAI, Poloniæ, & sui specialiter Protectoris, ac Patroni, Anno Salutis, 1612. 27 Septembris, annos ipse natus septuaginta sex, animam Conditori suo reddidit.

Elatum magno Nobilitatis, Ordinumque omnium concursu, ac mærore funus, ambientibus, vel ipsis viris Principibus, feretri onus subire. Ingentibus præconijs, demortui Concionatoriam facultatem, & virtutes cæteras celebrauit Reuerendus Pater FABIANVS BIRCOVIVS, Sacri Ordinis Prædicatorum Theologus, collatis in eum illis Ecclesiastici verbis, nactus inde idoneum lau-

laudationis argumentum. *Surrexit Elias, & verbum illius, quasi facula ardebat.* Vbi ad finem inter cætera loquitur: Lucerna, in medio Ecclesiæ ardens & lucens, extincta est. Excessit viuis, non verbo tantùm, verùm & vitâ perfectus, Verbi DEI Orator. Recessit à nobis eximius SACERDOS ille, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Mortuus est ille, qui laboriosum Prædicatoris onus, per annos quinquaginta, & ampliùs, sustinens, primas Episcopalis muneris partes peregit: exemplar, & idea Concionatorum defecit, à qua normam accipiebant ij, quicunque exedras Ecclesiasticas occupaturi essent. Merueras longiores annos Nestor Polone, ad minimum Nestoreos, ob illam mirabilem, tibique cælitùs inditam facundiam, quæ & Nestoris ipsius ora, auresque ad se conuertisset. Hæc, & plura alia affectûs sinceri congerit encomia, quæ totius Poloniæ approbat, in hunc diem, consensus, & de amisso, tam bono vineæ Dominicæ operario communis dolor. Vnicum solatur, quod nunquam defu-

defuturum eſt, & vitæ ſanctæ, ac integerrimè actæ teſtimonia pollicentur, ſanctioris è cælo auxilij patrocinium. Quod quàm præſto ſit, ſequens, poſt exceſſum iam è vita Patris PETRI, viſio declarata approbauit.

Fuit Cracouiæ notiſſimæ virtutis, pietatisque Virgo BARBARA LANGA. Hæc plurimis perſæpè, tum Beatorum iam, tum in purgatorio pœnas luentium ſpirituum viſitationibus dignata, habuit etiam præſentem ſibi Patrem PETRUM SKARGA, aliquot ab annis vitâ functum, amictu indutum Præſuleo, Paſtoralem etiam baculum manu gerentem; ſed ſine Epiſcopali Infula; qui ſignificaret, Paſtorali habitu ornatum ſe, quia viuens Paſtorale, ſeu Epiſcopale munus exercuiſſet in facie totius Regni Poloniæ.

Libet totam hanc, de vita huius Religioſiſſimi Patris narrationem concludere, vno quodam, Patri Optimo, in Sacro, ante ipſam Communionem Diuinitus dato reſponſo, quod ipſemet Pater, ſingulari cuidam, in ſpiritu Amico ſuo obnixè poſtulanti, per ſcriptum concredidit,

dit, hisce verbis: Sensi in corde meo talia mihi à Domino dici. Do Tibi pignus Amoris mei, erga te. Recipio te in vnitatem Corporis mei, vt sis membrum meum, & pars mea inseparabilis. Facio Te consortem, hæreditatis meæ: Cape Inuestituram, & implebo, quæ promisi. Do Tibi hanc Arrham. Habes viaticum; Curre. Habes Cibum; Labora. Habes solatium; non despera, nec sis tristis, & turbulentus.

Ita fiat Domine IESV, DEVS *meus*,

A M E N.




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE